



Math. 49

49

UPTERO
II A R K C A
OVLEDINI

München 1888

Mathem. 1688.


CENTRO-
BARYCA
GVLDINI.

Caes. mo Viro Dno Gulielmo Bideembach J. V. Doctori
Amico singulari. Ex dono Auctoris.

CENTRO
ARYC
GALDINI

PAULI GULDINI
SANCTO-GALLENSIS
E SOCIETATE JESU,
DE
CENTRO
GRAVITATIS,
LIBER QVARTVS,
DE GLORIA,
Ab Usu CENTRI GRAVITATIS
binarum specierum Quantitatis con-
tinuæ parta.

S I V E
ARCHIMEDES ILLUSTRATVS.



VIENNÆ AVSTRIÆ,
Formis Matthæi Cosmerovij in Aula Coloniensi.
ANNO à CHRISTO NATO
M. D. C. XLI.

PAULI GULDINI

SANCTO-GALLENSIS

ESOCIETATE

DE

CENITROR

GRAVITATIS

LIBER QVARTVS

DE GLORIA


Ab Usu CENTRI GRAVITATIS

binarum specierum Quantitas con-

tinue patet.

211

ARCHIMEDES HILVSTRATVS



NIEMNE NOTRA

Formis Mathematicis Colmerovij in Aula Colonien.

ANNO CHRISTO MDCXII

LECTORIS.



N aliquando Amice Lector, Centri nostri gravitas à centro adoras ac finem nos deduxit! Lusimus Quadripartito hoc Opere incruentum sicco adhuc in pulvere praelium, imitati non vanos belli Ducis cuiusque fortissimi serio Marte in apertum progredientis conatus, qui Regnum aut Provinciam subiura redacturus, aditus primum omnes ita explorat, ut nullus tam arte munitus, tam situ ipso formidandus, tam inaccessus loco sit, qui non aut calliditate, aut industria militari expugnatus, securum ad victorias reliquas iter aperiat. Ubi ergo Regni claustra sic ferro sibi pervia fecit, publicam belli orchestram, campum aio armato milite, mox etiam inimico sanguine inundat; quo si terga hostium pro voto inscripserit, victrices deinde copias, quas caedes iam & funera exsatiavere, spolijs etiam, ac trophæis gloriosus diribitor sic cumulat, ut solam sibi lauream vendicet. Nos ut provinciam unam è pluribus, quas Rex quidam potentissimus, gravi dudum legum iugo absque Jure à Centro gravitatis petito, presserat, sub fasces ire Centri & nostros iuberemus: Libro primo varia Exploratorum fraude & astu (in hoste enim, dolus an virtus, quis requirat?) Regni statum didicimus; quo bene perspecto, velut indole ventorum fortuna velis tutius laxatis auras caperemus. Invenimus autem hinc varias magnitudines, hinc lineas alias recto, alias curvo & in multos per fraudem flexus ducto dominatu, vel se ipsis valescentes, vel Figuris etiam planis, tanquam perimetros, famulantes; immò ipsas Figuras planas, tam rectilineas quam curvilineas pro Centri sui maiestate tuenda acies manipulosque explicuisse. Signa tamen nostra contulimus, &

fremmentibus lituis in aduersa cornua inuēti, aſſuente captis Marte, confertiſſimos cuneos diſiecimus; omniaque qua Primo Libro per Exploratores indagaueramus, Secundo ſub ſecures ac **P O T E S T A T E M** noſtram miſimus. Poterat noua tunc Victoria exultans miles priores miſerias, aditoſque labores ampliffima præda tumulare; cui veſtis pretioſa, magnifica ſupellex, uafa vel auro calata, vel gemmis interſtineta, uerbo, Craſi opes obtigere. Quas Tertio benè meritis diſtribuimus. Hoc Quarto Libro Triumphum adornamus Mathematicorum omnium facile Principi **ARCHIMEDI**, quem aureo nobiſcum ſedentem curru in honoris perpetui arcem Capitolinam deducemus. Soleo certe ſæpius ſuſpicere, & ſecundum acutiſſimumque Viri ingenium, & quedam eius Inuenta, ueluti primitias aliquas recondita & abſtruſe ſcientiæ, cum alijs rerum Geometricarum peritis admirari. Quamquam autem pulcherrimum illum mentis uigorem multa ſint qua commendent, ſupra omnia tamen ſemper admiratus ſum, & uelut in Theatrum publicum educendum iudicari id quod ait, Superficiem Sphericam (de qua conſtat nullam ipſius particulam eſſe planam) præciſe & exacte æqualem eſſe illi ſuperficii planæ, (cuius nulla particula convexa aut concava eſt) qua adæquet circulum maximum Sphæra quater ſumptum. Accendit igitur animos ingens ſciendi auiditas, quibus Ille ex cauſis ac principijs intrinſecis æqualitatem hanc eruerit. Sed circumductis per omnia acribus, & oculis & animis, intulit ſe nuda quaſi aſſertio hæc, planum ſcilicet illud, ſuperficii convexæ nec maius nec minus eſſe poſſe; quam una hac ratione tanquam fortiſſimo tibicine fultum iri iudicabat, ſi demonſtraret aliqua aliàs abſurda, & à Mathematica ſcientia aliena admittenda eſſe. Unde Joſephus Scaliger licet acerbiore plerumque dente Archimedem perſtringat; uisus tamen non immerito mitius roſiſſe, cum de demonſtratione ad abſurda ducente Adverſarium, in ſuis

Cyclome-

Cyclometricis hac audacter enuntiat: In quo Archimedes adeo creber est, ut non regnum in Geometria obtinere, sed tyrannidem exercere videatur. Verum ut ab Archimede suo Theoninum hunc dentem averteret ultor defensorq; eius acerrimus David Rivalentus, non dubitavit illo ipso Virorum Geometriae peritissimorum sententias carpere, & ipsius usque adeo Geometriae puritatem, auctoritatemque utcunque proscindere. Semper enim Demonstrationes Ostensivae plausum palmamque tulere praeter Negativas, & ad absurdum vel impossibile ducentibus, quidquid tandem Rivalentus in Prolegomenis Commentariorum in Archimedem obgañiat dicens, Demonstrationes ostensivae in Mathematicis non censentur potiores quam deducentes ad absurdum, quia non utuntur illae disciplinae causis rei, sed causis cognitionis rei. Et adducit in exemplum illam ipsam Sphaericae superficiei cum plano comparationem, de Archimede subiungens: Conscribit & inscribit figuras solidas extra & intra Sphaeram, quarum artificio concludit superficiem expositae Sphaerae aequalem esse quater maximo eorum qui sunt in ea circulo. Haec verò descriptae figurae non sunt causae cur illa aequalitas superficierum sit, sed rationes sunt quibus illa cognoscatur. Vnde fit ut quodcunque cognitioni fuerit magis consentaneum, Mathematicis magis conveniat. Immo ausus est hoc repetere in Scholio ad initium Libri Archimedis de Quadratura parabolae sic scribens: Vnde rursus animadvertere est Geometras non causis rei uti, sed causis quibus res cognoscitur. Satis enim illis est, si rem ita esse demonstrarint, nec quo pacto res sit quaerunt. En quantum sibi arrogat, qui tantum praestantissimorum Geometrarum placitis derogare non veretur? sunt apud illos, non inficior, frequentes demonstrationes ad absurdum, vel impossibile ducentes, sunt aliae à signo, & à causa cognitionis: abundant tamen etiam aliae à materiali, efficiente, immo & formali causa ductis, quibus principem semper locum concessere Geometrae: sed Davidi os facile oppugnabit, qui legerit doctissimas Dissertationes nostri Josephi Blancani de Mathematicarum natura, quae Bononiae lucem aspexere publicam, anno ævi euntis quinto supra decimum; ubi ca-

pita

pita præcipue secundum, tertium, & quartum clarissime Rival-
 ti assertionem refellunt. Quod si ipse illas Archimedis propositio-
 nes demonstrare potuisset per nostra principia, & ostensive, quod
 nos præstamus, calculum certe reduxisset, & censoria illa sua se-
 veritatis nota Geometriam exemisset. Sed damus facile illi veni-
 am, maxime cum sententiæ ac voluntati nostræ multum subscripse-
 rit, dum ex Philosopho discrimen utriusque syllogismi in iisdem
 Prolegomenis adfert, inquiens. In ostensivo quippe, Conclusio est
 vera & gignit scientiam, nempe certam & æternam. At in syllogismo
 deducente ad absurdum, falsum concluditur. At vero (subiungit)
 ea vis est & natura veritatis, ut mediante proba analysi, ex ea nihil con-
 sequatur nisi verum. Nos ergo principes Propositiones ex Archime-
 de de Sphæra & Cylindro, idemque de Conoidibus & Spheroidi-
 bus desumptas, quas ipse per demonstrationes ad absurdum du-
 centes confirmat, hoc Quarto Libro per nostra principia ex ro-
 tatione, & Centro gravitatis nata, ostensive demonstramus.
 Quanam verò ex nostris primarum partium demonstrationes
 sint, an à causa formali, an ab efficiente &c. prudens & erudi-
 tus Lector decernat: ego litem hanc non dirimo: clare tamen e-
 dico, illas prodire ab Intrinsicis principijs, esseque Ostensivas,
 id quod hætenus in Archimedis demonstrationibus desideratum
 est. Disceptari hic posset cur Archimedes propositiones suas non
 eo quo nos modo demonstraverit, immo sciiveritne hæc nostra prin-
 cipia ex rotatione, & Centro gravitatis desumpta; utitur enim
 ille rotatione, sed magnitudinem rotandam ad Centrum gravita-
 tis non alligat. Pro ipso militant Propositiones & Inventa mi-
 randa plane, quæ ne obvia nimis ac aperta essent, vario artificio-
 rum involucro contexit, & ideo ne id notaretur, genesis Conoidis
 & Spheroidis tradidit per rotationem non semiparabolæ, aut semi-
 ellipsis, sicut nos, sed per integras parabolæ & ellipsis figuras, ne
 lector putaret Centrum Gravitatis Semifiguræ hæc in re aliquid
 posse.

posse. Quare Rivaltus, cui ista nostra principia certo certius incognita erant, ad definitionem Libri Primi, de Conoidibus & Spheroidibus sic monet. Cæterum ad productionem Conoidis non requiritur integra sectionis Coni revolutio: satis est ut latera ipsius sedes permutent. Concludendum ergo videtur Archimedi principia nostra fuisse quidem perspectissima, quæ tamen ne vulgata vilescerent, ipsum data opera ea obscurare voluisse. Et sane ut dicam quod res est, plures de hac Archimedis quasi obscuritate querelas deposuerunt, quos inter Keplerus, qui Lectionem ipsius vocat spinosam. Modestus certe alias ac minimè tetricus Censor, Clavius noster Cap: 6. Lib: 4. Geometriæ practicæ, ubi explanaturus libellum Archimedis de Dimensione circuli, hæc præfatur: Quod cum Archimedis scripta, ob affectatam breviter, sint paulò obscuriora, illis nos lucem aliquam allaturos speramus. Suffragatur hisce Petrus Ramus Archimedis alioquin, ut videbimus, admirator, studiosus, & fautor: à quo tamen omnem obscuritatis notam excutere pro virili suo contendit Rivaltus, eodem in loco. Profecto de rebus sublimibus, inquit, & natura sua abstrusis, seiunctisq; à communi hominum captu, non potest quisquam quicquam præcipere, quod per obscurum non sit, scilicet si statim obvium uno aut altero verbo excipiatur. Sensus ad insolita horrent, imaginatio hebescit, intellectus obtunditur, & iudicium difficile assentitur, unde obscuritas æstimatur. Præterea res eximiæ propria methodo tradi debent, ne si facilius quam par sit offerantur, contemptui sint. Raritas rerum, & acquirendi difficultas illis pretio sunt, ut meritissimo iure præstantes viri divinas suas ad inventiones, & Archimedeis similes emittant decora quadam & venerabili facie, tamen severa, quæ primo intuitu honorem sibi & reverentiam conciliet, ne spernantur. Quibus ego rationibus persuasus ferè concluderam principia nostra Archimedem latere non potuisse, quamquam ea ipsa alijs, ob rationes allatas, ignota esse voluerit. Impulit tamen veluti in contrarium fluctuantem nonnihil animum anceps hæc cogitatio: quod si divino illi Archimedis ingenio principia illa occurrissent, plures ex illis omnino & nitidiores rerum

*maximarum rivulos tanquam uberrimis è fontibus deduxisset. Patebit enim primo & secundo Cap: huius Libri quanta facilitate & claritate per Rotationem & Centrum Gravitatis demonstraverimus rara illa Archimedis Inventa; que principia si ipse consecutus fuisset, plura profecto inde eruisset, que mox tamen institutoque suo tenebris quibusdam circumfusa ad nos transcripsisset. Floruit semper apud omnes tum Superiorum atatum, tum ævi nostri Viros præstantissimos conspicua laus Archimedis, cuius cum inclyta sint apud plurimos encomia, summo tamen semper apud me loco fuit elogium Federici Commandini hominis in Geometricis acutissimi, qui Commentarijs quædam Archimedis opera illustraturus, in epistola Dedicatoria ad Rainutium Farnesium sacre Romane curie purpuratum senatorem, sic loquitur; In disciplinis Mathematicis, inquit, complures summi, & admirabiles viri extiterunt. Sed Archimedes Syracusanus omnes omnium temporum Mathematicos longe, multumq; superavit. Et postquam enumerasset singula quibus vel Astronomia lucẽ ac splendorẽ, vel Arithmetica dignitatẽ, vel numeris ipsis musicis harmoniã aliquã suavitatẽq; attulisset, hæc subiicit. Deũ aliquẽ in ea (Geometria) fuisse Archimedẽ, nemo sanæ mentis inficiari poterit. Sed non in eo ad ipsa usq; sidera extollendo postremus est Rivaltus, ad calcem enim Libri de Sphæra & Cylindro, ita fluentibus buccis plenisque tibijs illi laudes decantat. Inter alia nunquã satis mirareris aut dignis efferres laudibus, τὸ τοῦ Ἄρηος, & felix illud inventum, quod tanquam raro ingenij specimine Archimedes ostendit, vel capacitate superficiei Sphære, quadruplam scilicet maximi in ea circuli, vel soliditate eiusdem, nimirum Sphæricam quadruplam esse Coni basem habentis æqualem maximo circulo eorum qui in Sphæra, altitudinem verò, radium Sphære. Quamquam multa alia sint & scitu dignissima & usu utilissima, & cognitu iucundissima. Sed audiamus Ramum (virum multæ eruditionis, ita enim vocat illum idem Commandinus, in Prolegomenis in Elementa Euclidis) Libro I. Scholarum Mathematicarum de Archimede sic differentem: Voluit Deus, inquit, in omnibus artibus aliquam velut
ideam*

ideam singularem esse, quam omnes eius disciplinæ studiosi ad imitandum sibi proponerent: ut in eloquentia, Demosthenem & Ciceronem: in medicina Hippocratem & Galenum: sic in Mathematicis Archimedes. Fuit enim Archimedes ingenio ad Mathematicam in primis admirabili: studio autem partibus infinitis admirabiliore fuit: atque ita dulcedine scirenes cuiusdam geometricæ correptus, ut cibi & potionis cultusque reliqui immemor, tota cogitatione atque mente mathematicis incumberet. Quin si quando à servis & ministris ad balnea duceretur, figuras in cinere describebat, lineasque in corpore peruncto digitis ducebat. Archimedes verò inventionē iudicioque rerum singularum summus fuit: methodo tamen, & tota docendi via perobscurus, quamvis Plutarchus valde facilem iudicet, libris tamen ipsis obscuritas arguitur: Magnus in omnibus mathematicis disciplinis fuit. Pappus octavo libro *τῆς συναγωγῆς* auctor est, Arithmetica & Geometriam studiose ab Archimede conscriptas esse. Arithmetica eius ad Zeuxippum citat libellus de numero arenæ: sed multo maxime declarant pleræque propositiones, ut in secundo de sphaera proportionibus numerorum demonstrata. Maxima enim propositionum illarum subtilitas non nisi numeris explicatur. Quin pro Cluentio orator cum dicit 64. millia sexdecim iudiciis esse divisa, hoc Archimedes, (ait) non potuit melius describere. Hic tanquam proverbio Arithmetica Archimedis iactatur. Verum Archimedes non Arithmeticae, sed Geometriae gloria praecipue commendatur, ad quam totam communiter attinet liber *περὶ ἰσοπεριμέτρων*, quem tamen nondum nobis videre licuit: ad Geometriam de planis spectant dimensio circuli, tractatio volutarum: ad Stereometriam verò de solidis referuntur libri de Sphaera & Cylindro, de sphaeroidibus & conoidibus, &c. Citantur etiam 3. p. de quadratura parabolæ & 3. p. de conoidibus & sphaeroidibus elementa conica, quæ ipsius fuisse videantur: hæc geometrica sunt: Sed labor in geometricis rebus Archimedi gratissimus fuisse dicitur, de ratione Sphaerae & Cylindri: Ideoque amicos oravit, ut sepulchro suo imponerent cylindrum sphaera comprehensum, præscripta ratione comprehendentis ad comprehensum, tanquam id geometricarum vigiliarum & inventionum palmarium esset: quæ ratio demonstratur ad 33 p. 1. de Sphaera & Cylindro. Atqui laboriosi inventi videlicet ea conscientia fuit, quæ fuerat ante in Thaletē, Pythagora, Erathostene, unde sacra & anathemata. Sepulchrum autem ipsum iam pridem nullum esset, nisi quinta in Tusculana immortalitati esset à Cicerone consecratum. Commemorat enim Tullius illud Archimedis sepulchrum, cum de Dionysio Syracusanorum tyranno loquitur. Ex eadem urbe, ait, humilem homunculum à pulvere

& radio excitabo, qui multis annis post fuit, Archimedes, cuius ego quæstor ignoratum à Syracusanis, cum esse omnino negarent, septum undique & vestitum vepribus & dumetis indagavi sepulchrum. Tenebam enim quosdam senariolos, quos in eius monumento esse inscriptos acceperam, qui declarabant in summo sepulchro sphaeram esse positam cum cylindro. Ego autem cum omnia collustrarem oculis (est enim ad portas Agraianas magna frequentia sepulchrorum) animadverti columellam non multum è dumis eminentem, in qua inerat sphaeræ figura & cylindri. Atque ego statim Syracusanis (erant autem principes mecum) dixi me illud ipsum arbitrari esse, quod quærerem. Immissi cum falci- bus multi purgârunt & aperuerunt locum. Quo cum patefactus esset aditus, ad adversam basim accessimus. Apparebat epigramma exesis posterioribus partibus versiculorum dimidiatis ferè. Ita nobilissima Græciæ civitas, quondam verò etiam doctissima, sui civis unius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset. Hæc Tullius de Archimedis sepulchro, de quæ Sphaera & Cylindro, ratione quæ utriusque senariolis, comprehensa. Verum enim verò geometrica laus Archimedis usu & utilitate rerum multo illustrior fuit quam scientia. Vetus illa iam inde à Platone mathematicis perversa & præpostera opinio fuit, mathematicæ usum non esse vulgo communicandum, sed ad Philosophiæ authoritatem, tanquam Palladium aliquod in arce Philosophica recondendum & custodiendum. Sic Archytes & Eudoxus à Platone deterriti, mechanicam & organicam colere desierunt. Sic Euclides fortasse Ptolemæo succinctiorem & faciliorem viam requirenti, morosior fuit, dum negavit regiam ad geometricum studium semitam esse. Verum Archimedes tametsi Platonis errore imbutus, contemplationem Geometriæ, si Plutarcho creditur, longissime anteponeret usui, attamen roganti Hieroni Siciliæ regi, multo gratior & humanior fuit, quam Euclides Ægyptio regi ante fuerat. Nam cum Archimedes coram Hierone de præstantia Geometriæ dislereret, fiducia quæ artis iactaret paradoxum illud, de quo Plutarchus in Marcello, & Sinesius in epistolis, & Pappus in Mechanicis & Tzetzes, Datis viribus datum pondus tollere, ac si mundus alteram terram haberet, ut Democriti decreto ferebatur, hanc illuc posset adducere: vel ut apud Pappum est *Δός μοι (Φησὶ) πῶς εὖ καὶ κινῶ τὴν γῆν.* Da mihi (inquit) ubi consistam, & movebo terram: cum inquam id iactaret Archimedes, rex Geometram admiratus, rogavit ut tantæ confidentiæ periculum faceret. Quapropter Archimedes emptam è navibus regijs unam & in siccum littus eductam graviusque oneratam, solus machinis suis ad se perinde pertraxit, ac si in mari velis remisque moveretur:

contra

contra postea simili Geometriæ facultate Alexandrinam eiusdem regis navim è littore in mare deduxit, quod omnes Siciliae vires non potuerant, ut apud Athenæum est lib: 5. Cap: 7. & apud Proclum lib: 2. Cap: 3. & apud Tzetzem, Archimedes trispasto manu læva & sola, quinquies milenum modiorum pondus attraxit: Quibus ingenij miraculis rex permotus dixit Archimedi quidlibet affirmanti credendum esse, tanquam tali artificio nihil posset esse difficile. Itaque & Archimedem oravit, ut tantisper à studij geometrici meditatione ad exempla rebus humanis necessaria animum abduceret: atque inde machinæ illæ extiterunt, quibus Syracusæ postea adversus Marcellû ab ipso machinatore ita defensæ sunt, ut in illa oppugnatione Briareus & centimanus appellaretur à Romanis, tanquam poëticis fabulis celebratos gigantes, vel Iovem potius ipsum viribus æquaret. Vt enim Iupiter fulgure tonitruque terret orbem terrarum: sic Geometra unus suis tormentis & machinis tantum exercitum perculit. Oppugnatio urbis propugnatioq; à Græcis Polybio & Plutarcho, sed parcius à Livio memoratur his verbis: Inde terra marique simul cæptæ oppugnari Syracusæ, terra ab Hexapulo, mari ab Acradina, cuius murus fluctu alluitur, & quia sicut Leontinos terrore, ac primo impetu ceperant, non diffidebant vastam dissectamque spatio urbem parte aliqua se invasuros, omnem apparatus oppugnandarum urbium muris admoverunt. Et habuisset tanto impetu cæpta res fortunam, nisi unus homo Syracusis ea tempestate fuisset: Archimedes is erat, unicus spectator cœli siderumque, mirabilior tamen inventor ac machinator bellicorum tormentorum operumque, è quibus ea quæ hostes ingenti mole agerent, ipse perlevi momento ludificaretur. Murum per inæquales ductum colles pleraq; alta & difficilia aditu, summissa quædam, ut quæ planis vallibus adiri possint, ut cuiq; aptum visum est loco, ita omni genere tormentorum instruxit. Acradinæ murum, qui, ut ante dictum est, mari alluitur, ex quinqueremibus Marcellus oppugnabat: ex cæteris navibus sagittarij funditoresque & velites etiam, quorum telum inhabile ad remittendum imperitis est, vix quemquam sine vulnere consistere in muro patiebantur: hi quia spatio missilibus opus est, procul muro tenebant naves. iunctæ, aliæ binæ ad quinqueremes, demptis interioribus remis, ut latus lateri applicaretur, cum exteriori ordine remorum, velut naves agerentur, turres contabulatas machinamentaq; alia quatiendis muris portabant. Adversus hunc navalem apparatus, Archimedes variæ magnitudinis tormenta in muris disposuit, in eas quæ procul erant naves, saxa ingenti pondere emittebat, propiores levioribus, eoque magis crebris petebat telis: postremo ut sui vulnere intacti tela in hostem ingererent, murum ab imo ad summum crebris cubitalibus ferè cavis aperuit, perque cava pars sagittis, pars scor-

pionibus modicis ex occulto petebant hostem. Quæ propius quidem subibant naves, quo interiores ictibus tormentorum essent, in eas tollendas desuper murum eminentem ferrea manus firmæ cathenæ illigata, cum iniecta proræ esset, graviq̄ue libramento plumbi recelleret ad solum, suspensa prora navim ad puppim statuebat, dein remissa subito velut ex muro cadentem navim cum ingenti trepidatione nautarum ita undæ affligebat, ut etiamsi recta recideret, aliquantum aquæ acciperet. Ita maritima oppugnatio est elusa, omnisq̄ue vis est averfa, ut totis viribus terra aggredierentur. Sed ea quoq̄ue pars eodem omni apparatu tormentorum instructa erat Hieronis impensis, curaq̄ue per multos annos Archimedis unica arte: natura etiam adiuvabat loci. quod saxum, cui imposita muri fundamenta sunt, magna ex parte ita proclive est, ut non solum missa tormento, sed etiam quæ pondere suo provoluta essent, graviter in hostem inciderent. Eadem causa ad subeundem arduum aditum instabilemq̄; ingressum præbebat. Ita consilio habito cum omnis conatus ludibrio esset, absistere oppugnatione atque obsidendo tantum arcere terra mariq̄; com meatibus hostem placuit. Hæc Livius. Quæ eadem Tzetzes & Plinius, & post Plinium Quintilianus Lib: i. Cap: 10. ubi de Geometria: Transeamus, ait, quod Archimedes unus obsidionem Syracusarum in longius traxit. Veruntamen quamvis tantum tamq̄ue singularem Geometriæ usum Archimedes singularibus exemplis & admirandis operibus ostenderit, propter quæ non humanæ, sed divinæ scientiæ laudem sit adeptus, hæsit tamen, si Plutarcho credimus, in illa Platonis persuasione, nec ullam mechanicam litteram prodere voluit. Et Carpus Antiochenus apud Pappum Lib: 8. ait ab Archimede in mechanicis nihil nisi librum de compositione Sphæræ editum esse: cætera mechanica scripta velut indigna contempsisse. Atqui utinam Archimedi potius in mentem venisset, artium finem esse usum, non contemplationem, maximeq̄ue hominum ac certissimæ utilitati consulere maluisset, quam nescio cuius opinionis errori obsequi, habuisset enim posteritas præstantis ingenij non theorematum solum eruditionis altæ prorsusq̄ue reconditæ, sed ipsorum theorematum longè gratiorem humanæ vitæ & optabiliorem fructum. Deniq̄; Archimedem tantis miraculis attonita non suspiceret solum, sed imitando, proficiendoq̄ue amaret & coleret. Hæc cæca Platonis ambitio, Geometriæ non solum usum, sed scientiam ipsam penè perdidit.

Postquam autem Ramus hæc retulisset, & plurima de ipsius Archimedis Operibus, Scriptis, Speculis, Sphæra, Corona aurea, &c. quæ passim cognita sunt, subiiecisset, sic tandem concludit.

Ex his igitur tam multis argumentis manifestum est variæ ac multiplicis scientiæ

scientiæ thesauros in uno Archimedis ingenio fuisse, propter quos etiam apud hostem Marcellum gloriam summam consecutus est. Edixerat enim Marcellus, cum civitas caperetur, ut Archimedes servaretur, & interemptum militari imprudentia, graviter tulit. Sic enim Livius: Archimedem memoriæ proditum est in tanto tumultu, quantum capta urbs in discursu diripientium militum cedere poterat, intentum formis, quas in pulvere descriperat, ab ignaro milite quis esset, interfectum, ægre id Marcellum tulisse, sepulturæque curam habitam propinquis etiam inquisitis, honori præsidioque nomen ac memoriam eius fuisse. Sic idem ferè Plinius Lib: 7. Cap: 37. Grande & Archimedi Geometriæ ac machinalis scientiæ testimonium M. Marcelli contigit interdicto, cum Syracusæ caperentur, ne violaretur unus, nisi fefellisset imperium militaris imprudentia. Ergo mortuo Archimede mathematica etiam gloriosa apud hostem fuit: & quidem sic mihi persuadeo Marcello gloriosius futurum fuisse, Archimedem vivum, quam totam Archimedis patriam Romano imperio adiunxisse. Archimedis enim machinis nulla Marcello civitas inexpugnabilis, nullus hostis insuperabilis fuisset: Annibal denique aut fugisset, aut Archimedis manibus Marcello victus esset. Verum ab Archimede divelli non possum, cuius facta singula hæc studiosius à nobis collecta sunt, ut tantum tamque excellentem mathematicum, quantum in me esset non solum ab oblivione hominum vindicarem, sed modis omnibus studijsque cognoscendum & amplectendum persuaderem. Credat enim mathematicæ disciplinæ studiosus se plurimum profecisse, cui Archimedes plurimum placuerit. Hactenus historia Procli progressa est, & in uno Archimede conclusa. Quamobrem in græca periodo mathematicæ inventores, & tanquam parentes adhuc enumerati sunt: è quibus quinque *σοιχεωτάτοι* nominantur, Hippocrates, Leo, Theudius, Hermotimus, Euclides: Sed virtutis honore quodam nobilissimi sunt Thales, Pythagoras, Hippocrates, Plato, Archytas, Eudoxus, Aristoteles. At enim Archimedes unus

—Tantum supra caput extulit omnes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Itaque variores Archimedis Propositiones & magis admirandas, quas habet in Libris de Sphæra & Cylindro, de Conoidibus item & Spheroidibus, Capite primo & secundo huius Libri complexi sumus, atque ex nostris principijs ostensive, concisa tamen brevitate, demonstravimus. Obviam autem quamcunque demonstra-

monstrationem sumus amplexi, omnibus enim insudare, vires cum morbis fracta, tum frigido iam senio exhausta vetant. Hic tibi, Lector amice, eductum è venis illis Archimedeis metallum, proponimus, minime dubij, si multorum industria in divites istas medullas ac viscera penetrare voluerit, aureos plane fluxuos, elegantiores, inquam, demonstrationes non inutili labore evocabit. Capite tertio Propositiones aliquot ex libro duodecimo Elementorum Euclidis, similiter ostensivis demonstrationibus ex ijs denuò principijs roboramus. Huius viri ne apud nos laus omnis obsolescat, suo illum inter eruditos suggestu efferemus: quamquam iam olim amplissimam illi honoris exedram inter Geometras assignavit Proclus Diadochus, Libro secundo in primum Elementorum, Capite quarto. Recensitis enim plurimis ex antiquitate Geometria inventoribus cum ad Hermotinum Colophonium, & Philippum Mendaum Platonis sectatorem pervenisset hæc subiicit. Non multo autem his iunior Euclides est; qui Elementa collegit, & multa quidem construxit eorum, quæ ab Eudoxo; multa verò perfecit eorum, quæ à Theæteto reperta fuerant. Ea præterea, quæ à prioribus molliore brachio ostensa fuerat, ad eas redegit demonstrationes, quæ nec coargui, nec convinci possunt. Fuit autem iste vir primi Ptolemæi temporibus: Archimedes namque in primo, & in alijs Libris Euclidis meminit. Et paulò post. Platonis igitur familiaribus iunior quidem est, antiquior verò Eratosthene, & Archimede (hi enim uno eodemque tempore vixerunt, ut tradidit Eratosthenes) Secta autem Platonicus. Vnde sane totius quoque Elementorum institutionis finem statuit, earum quæ Platonice appellantur figurarum constitutionem. Nec illaudatum præterit eundem Ramus Libro tertio Scholarum Mathematicarum, ubi sic in eius laudes prorumpit: Enimvero iam de Euclide vel Theone (pro eodem enim uterque nobis esto) tam magnifice sentio, quam Hippocrates sensit de Pythagora, Leon de Hippocrate, Theudius de Leonte, Hermotimus de Theudio, Euclides de principibus illis omnibus, Euclidisque elementa nobilia, Thaletis, Pythagoræ, Hippocratis, Archytæ, Platonis, Aristotelis, & reliquorum inventa esse statuo: neque ullum in totis Elementis Mathematicum Euclidis errorem propono. Nullus enim

enim

enim paralogismus, nulla pseudographia, in totis Elementis, nobis quamquam severe inquirentibus animadverti potuit: quam laudem singularem esse profiteor, quamque nulli adhuc neque Grammatico, neque Rhetori, neque Logico concedere potui, ut in Grammatica, Rhetorica, Logica, nihil falsi docuisset. *Constitueramus quidem eodem modo demonstrare quadam à Pappo Alexandrino in Collectionibus Mathematicis allata: sed fruere modo his Laboribus nostris Lector, alios polliceremur largius, nisi constaret ante, tam larga, tam longa promissa solvi non posse, quæ vel morbi graves, vel invidæ fatorum leges, aut ipse qui fata moderatur Deus, citius absolvet.* Capite quarto ad calculos revocamus ea quæ *Doctissimus Joannes Keplerus Augustissimorum Imperatorum Rudolphi, Matthiæ & Ferdinandi verè nemini Secundi, olim Mathematicus in sua Stereometria Archimedea eiusque Supplemento tractat, in quibus per rotationem quidem qua nos utimur multas describit figuras, quasdamque ex illis mensurare, invicem aut cum alijs conferre, aliaque ad hanc rem peropportuna demonstrare conatur: at verò quia in iisdem Centri Gravitatis usum applicare nesciverat, cursum non tenuit, tentatisque excidit ausis: abrumpo filum, si Lectorem monuero me in Archimedis Libris usum esse translatione & editione Davidis Rivalti à Flurantia, maxime de Sphæra & Cylindro, cum horum alia editio ad manus non esset, quare si in citatione numeri Propositionum diversitas aliqua compareat, eam ex collatione alterius editionis cum hac Rivalti colligere & coordinare unicuique licebit.* Archimedem item tres sectiones Conicas, quas communiter Parabolam, Hyperbolam & Ellipsim nominamus, vocare Sectiones Coni, rectanguli amblygonij sive obtusanguli, & acutanguli: Hunc Librum denique vocamus Archimedem **ILLUSTRATUM** propter demonstrationes claras ac perspicuas quas obscurioribus Archimedeis substituumus. Vale Lector benevole, & labores nostros Geometricos

istos graves, quia de Gravitate, gratioso favore tuo allevia.
 Centri Gravitationis **I**NVENTIONEM instituimus, ut
 in eo consistas, tanquam in bilance; & æquum de doctrina no-
 stra feras iudicium. **U**SUM deinde Centri tradidimus, ut
 tu mediocritatis hinc modum disceres, qui cognitus, altus est
 vere ad sapientiam gradus, aureum certe quisquis Centrum
 Gravitationis medium inquam diligit, securam facile felicitate otie-
 tur, hoc verò quidquid Centrum excedit pendet instabili loco.
FRUCTUS etiam inde paucos collegimus tantummodo, ut
 supereressent uberiores quos ad palatum gustumque tuum è divite
 hoc cornucopia decerperes. Tandem merita Centrum **G**LOR-
RIA circumscripsimus, ut potiores deferamus ei cuius Honor
 & Gloria nullis limitibus circumscripta, nullis definita est
 terminis, **D**E O nempe Optimo maximo, in quo ut
CENTRO omnes conatus laboresque
 nostri aliquando placidissime
 conquiescent.



DE

D E
C E N T R O
G R A V I T A T I S,
L I B E R Q V A R T U S,

Qui

O S T E N D I T G L O R I A M
E I V S D E M,

Quam

A S U M M I S G E O M E T R I S
Archimede & Euclide obtinuit.

C A P V T P R I M V M,

I L L U S T R A N T U R E A Q V Æ
habentur Libro de Dimensione Circuli, & Libro
primo de Sphæra & Cylindro
Archimedis.



O N I U N G I M U S hoc Capite duos Archi-
medis Libros, eo quod Cyclometricus sit brevissimus, con-
stans nimirum tribus tantummodo Propositionibus, isq̄ à
nobis partim prærequiratur; Propositio videlicet ipsius ter-
tia, quæ proportionem diametri ad peripheriam proxime
determinat, & ex qua deinde alij longe propius accesserunt, quæ etiam ut
alibi diximus, à nobis supponitur. Secunda verò Propositio, ut Clavius re-
cte monet [Lib. 4. Cap. 6. Geometriæ Practicæ] dependet ex tertia, eamq̄
nos in precedentibus demonstravimus [Lib. 2. Cap. 6. Propos. 4. Coroll. 2. &
aliter etiam in Corollario Propositionis 1. huius] manet ergo nobis illustranda

Q̄ 2

sola

sola Propositio prima, omni auro preciosior. Precipua deinde que tractat Archimedes Libro primo de Sphæra & Cylindro, sunt ea, ut Ipsemet in Præmio affirmat, quæ habentur Libro illo Propositionibus 30 31, 36 37, & 38, quæ omnes 37^{ma} excepta, ab eo demonstrantur ducendo ad absurdum, sicut etiam 13, & 14. Reliquæ Verò Propositiones ferè omnes sunt quasi Lemmata, & in ordine ad illas enumeratas demonstrandas posite. Precipuas ergo illas ex nostris principijs demonstrabimus affirmative & ostensive, ex reliquis Verò illas omnino omittimus, vel quia nostram non requirunt aut admittunt rotationem, vel ab ipso Archimede satis clare demonstrantur, quales sunt primæ duodecim Propositiones: quare non nisi à decimatertia incipimus, & ordinem illarum Propositionum, cum ordine nostro coniungimus, sequentes, ut in Præfatione monuimus, editionem & ordinem Rivalti.

PROPOSITIO I.

Quæ est Archimedis de Circuli Dimensione Prima.

Quilibet circulus æqualis est triangulo rectangulo: cuius quidem semidiameter uni laterum, quæ circa rectum angulum sunt, ambitus verò basi eius est æqualis.

CIRCULI planam superficiem componi ex ductu semidiametri ipsius, in semicircumferentiam eiusdem, iam demonstravimus [*Libro 3. Cap: 1. Propos: 1.*] hoc est, Circulum æqualem esse rectangulo sub semidiametro circuli, & alia recta semicircumferentiæ circuli æquali. Ergo rectangulum sub eadem semidiametro & tota circuli circumferentia, duplum est circuli; sed idem rectangulum duplum est etiam trianguli rectanguli basim habentis eandem semidiametrum, & alterum latus circa rectum eidem toti circumferentiæ æquale. [*ex 41 primi elementorum*] Ergo circulus æquatur triangulo. Quod erat demonstrandum.

COROLLARIUM.

EX hac Propositione & prima sexti Elementorum sequitur, Circulum ad quadratum diametri, eam habere proportionem quam semicircumferentia circuli ad duplam diametrum: Ostensum est enim rectangulum sub semidiametro, & recta toti circumferentiæ circuli duplum esse circuli; ergo circulus est æqualis medietati huius rectanguli, hoc est, rectangulo sub semidiametro & recta semicircumferentiæ æquali, hoc est, rectangulo sub tota diametro & quarta parte circumferentiæ. Ergo circulus [*per 1. Sexti*] ad quadratum diametri est ut quarta pars circumferentiæ addiametrum, hoc est, ut semicircumferentia ad duplam diametrum, hoc est, ut 11 ad 14 ferè.

Quæ est Propositio Secunda Archimedis de Dimensione Circuli.

PROPO-

PROPOSITIO II

Quæ est Archimedis Lib: 1. De Sphæra & Cy-
lindro Decimatertia.

*Omnis Cylindri recti superficies sine base, æqualis est circulo
cuius ea, quæ ex centro, media proportionalis est inter latus, &
diametrum basis cylindri.*

ESTO recta linea FA circa axem DC , superficiem describens Cylindricam, cuius semidiameter basis recta AC , quæ æqualis est Radio rotationis GM . Inventa deinde [*ex Elementis*] media proportionali inter FA , & duplam AC , hoc est, inter latus Cylindri & diametrum basis; quæ media proportionalis sit recta BC , cuius centrum gravitatis E , ac proinde BE , EC æquales. Dico superficiem Cylindricam, æqualem esse superficiei circuli descripti à semidiametro BC , cuius Radius rotationis est recta EC , circa eundem axem DC . Ex demonstratis enim à nobis [*Lib: 3. Cap: 1. Propof: 6. &c.*] Superficies Cylindrica æqualis est rectangulo sub recta FA latere Cylindri, & via rotationis sive peripheria circuli cuius semidiameter GM , sive AC : Circuli verò superficies, [*ut vidimus Propof: precedenti,*] æqualis est rectangulo sub recta BC , & via rotationis sive peripheria, cuius radius EC ; Acceptis ergo loco viarum sive peripheriarum, ipsarum diametris, hoc est dupla AC , & dupla EC quæ est BC , (cum sit eadem proportio peripheriarum, quæ diametrorum) habemus loco priorum, rectangulorum, rectangulum sub FA & dupla AC , respondens superficiei Cylindricæ; & rectangulum sub BC & dupla EC , hoc est, quadratum ipsius BC , respondens superficiei Circuli. Est autem BC , ex constructione, media proportionalis inter AF & duplam AC : Ergo rectangulum sub AF & dupla AC , æquale est quadrato ipsius BC , hoc est Superficies Cylindrica æqualis est circulo cuius semidiameter BC . Quod erat demonstrandum.



PROPOSITIO III

Quæ est Archimedis Lib: 1. De Sphæra & Cy-
lindro Decimaquarta.

*Omnis Coni Isoscelis superficies sine base, æqualis est circulo,
cuius radius medius est proportionalis, inter latus Coni & radi-
um circuli, qui est Coni basis.*

Q 3

ESTO



ESTO latus Coni GC , superficiem describens Conicam, circa axem DC , cuius semidiameter basis GI , & Radius rotationis HK . Sit deinde recta EC semidiameter alterius circuli, (descripti circa eundem axem Radio rotationis CP) media proportionalis inter GC & GI . Dico circulum hunc æqualem esse, superficiem Conicæ. Assumptis enim loco viarum rotationis ipsarum diametris, rectangulum sub CG , & dupla HK , hoc est sub CG & GI , respondet superficiem Conicæ: & rectangulum sub EC & dupla PC , hoc est quadratum ipsius EC , respondet superficiem circuli. Sed ex constructione EC est media proportionalis inter CG , GI : Ergo rectangulum sub GC & GI , æquale est quadrato EC , hoc est, superficies Conicæ æqualis est circulo cuius semidiameter EC . Quod erat demonstrandum.

PROPOSITIO IV.

Quæ est Archimedis Lib: 1. De Sphæra & Cylindro Decimaquinta.

Cuiuscunque Coni Isoscelis superficies, ad basim eam habet rationem, quam latus Coni ad radium circuli, qui basis est Coni.

SIT ut ante latus Coni GC , axis rotationis CD , semidiameter basis Coni GI , bisecta in L . Dico proportionem superficiem Conicæ, ad circulum cuius radius GI , esse ut GC , ad GI . Superficies enim conica nascitur ex ductu GC in peripheriam, cuius semidiameter HK vel LI : [ex Regula generali Propos: 3. Cop: 8. Lib: 1. proposita] & circuli superficies nascitur ex ductu eiusdem peripheriæ in rectam GI : Ergo [ex prima sexti element:] superficies conica ad superficiem circuli est, ut GC ad GI , Quod erat demonstrandum.

PROPOSITIO V.

Quæ est Archimedis Lib: 1. De Sphæra & Cylindro Decimasexta.

Si Conus Isosceles plano secatur basi parallelo: superficiem conicam inter plana parallela, æqualis est circulus, cuius radius medius est proportionalis inter partem lateris Coni, comprehensam parallelis planis, & lineam æqualem radijs duorum circulorum, qui habentur in planis parallelis.

ESTO ad axem rotationis CD , obliqua recta GI , describens superficiem Conicam illam, de qua in Propositione Archimedes, Radius rotationis recta HK , semidiametri duorum circulorum sive planorum parallelorum,

lelorum, GD , IC : & sit recta BC , cuius centrum A , media proportionalis inter GI , & ipsas GD , IC , simul sumptas. Dico superficiem conicam esse æqualem circulo cuius radius BC . Superficies enim conica [per Propos: 5. Cap: 1. Lib: 3.] æqualis est rectangulo sub GI , & recta æquali peripheriæ cuius diameter est dupla HK , hoc est GD , IC simul sumptis: (HK enim est inter GD , IC arithmetice proportionalis) & superficies circuli æqualis est rectangulo sub BC & recta æquali peripheriæ, cuius diameter est dupla AC , hoc est, tota BC . Acceptis igitur, ut suprâ, loco peripheriarum ipsarum diametris, rectangulum sub GI & binis GD , IC simul sumptis, respondet superficiæ Conicæ; & rectangulum sub BC & AC bis sumpta, hoc est, quadratum BC , respondet circulo. Sed BC est media proportionalis inter GI , & GD , IC simul sumptas: ergo quadratum BC æquatur rectangulo; & circulus superficiæ Conicæ. Quod erat demonstrandum.



S C H O L I V M.

PRÆCEDENTIUM trium Propositionum, Secunda videlicet, Tertia & eius, quæ proxima est, Quinta, Converse facile etiam demonstrantur: ut si Secunda hoc modo convertatur:

Omnis circuli, qui æqualis est superficiæ Cylindri sine base, ea quæ ex centro, est media proportionalis, inter latus & diametrum basis Cylindri.

1. *Habitus enim rectangulis, ut suprâ in demonstratione Propositionis secunde, eo nimirum quod respondet superficiæ Cylindricæ, sub FA & dupla AC ; & eo quod respondet circulo, sub BC & dupla EC , hoc est, BC , cum rectangula illa ponantur æqualia, est [per 14 sexti elementorum] ut FA , latus Cylindri, ad BC semidiametrum circuli; ita BC , ad duplam AC , sive ad diametrum basis Cylindri: sed BC est eadem, ergo est media proportionalis inter FA & duplam AC . Quod erat demonstrandum.*



2. *VEL demonstretur sic: Sint in figura exposita omnia ut ante. Dico BC esse mediam proportionalem inter AF , & duplam AC . Quantitas enim rotata FA , quæ superficiem Cylindri descripsit, ad quantitatem rotatam BC quæ circulum descripsit, est, ut EC Radius rotationis huius, ad GM , hoc est, AC Radium rotationis illius; [ex Coroll: 1. Propos: 3. Cap: 8. Libri 2.] & duplicatis posterioribus duobus terminis (manet enim eadem proportio) est ut FA ad BC , ita eadem BC ad duplam AC , hoc est, diametrum basis Cylindri: Ergo BC est media proportionalis inter AF latus Cylindri, & diametrum basis. Quod demonstrandum erat.*

Eadem ratione eodemq; medio termino demonstrari poterunt Converse Tertiæ & Quintæ Propositionum, quod facere brevitatis causa omittimus.


3. *Sequentes deinde Propositiones Archimedis, 17 videlicet, & reliquæ usque ad 23, cum directe, breviter, ac satis dilucide ab Ipso Archimede demonstrantur, eas eadem de causa omittendas esse censuimus.*

P R O P O S I T I O V I.

Quæ est Archimedis Lib: 1. De Sphæra & Cylindro Vigesimalertia.

Inscripta

Inscripta in Sphæra figura solida superficies æqualis est circulo, cuius radius potest rectangulum comprehensum sub latere figura, & linea æquali omnibus iungentibus latera figura, ita ut fiant quadrilatera in ipsa, existentibusque parallelis, recta linea duo latera figura subtendenti.



SIT Sphæra $BCDZ$, cuius maximus circulus $BCDZ$, in quo descripta sit plana figura $BFCIDAZV$ laterum numero numerabili quaternario: Bina eorum singula iungant rectæ FV , CZ , IA , constituentes quadrilatera $FCZV$, $CIaZ$: & rotetur semicirculus BCD circa axem BD , ut describatur figura solida superficiebus complexa conicis. Sit & circulus radio bd descriptus, cuius radij quadratum sit æquale rectangulo contento, sub latere BF , figuræ planæ circulo $BCDZ$, inscriptæ, & linea composita ex illis FV , CZ , IA , latera figuræ iungentibus, & ipsi FV subtendenti duo figuræ latera

FB ; BV parallelis. Dico solidæ figuræ intra Sphæram descriptæ superficiem, æqualem esse circulo ex radio bd descripto;

Conicæ hæ superficies [ex doctrina Libri secundi] componuntur ex lateribus BF , FC , CI , ID , seorsim sumptis, & ductis in peripherias integras Radijs rotationum ET , GX , HT , KS , (etiam seorsim acceptis) tanquam semidiametris circuli debitas: hoc est, hæ omnes conicæ superficies simul sumptæ, æquales sunt rectangulo sub recta quæ illis circulorum peripherijs simul acceptis æqualis est, & sub uno laterum BF . [per primam secundi] Superficies verò circuli componitur ex recta bd , & circuli peripheria Radij rotationis cd ; hoc est circulus æqualis est rectangulo sub bd , & recta quæ peripheriæ radij cd æquatur; loco peripheriarum accipiamus ipsos Radios rotationis bis sumptos, cum in eadem sint cum peripherijs proportione; ut pro superficie figuræ solidæ sit rectangulum sub uno latere, & recta æquali ipsis EL , GQ , HR , KM simul sumptis: pro superficie verò circuli sit rectangulum sub bd , & cd bis sumpta, hoc est, quadratum bd : Sed hoc rectangulum sub uno latere & illis EL , GQ , HR , KM simul sumptis, est æquale illi rectangulo in Propositione nominato, cui quadratum hoc bd ex hypothese æquale est: Ergo & superficies figuræ solidæ est æqualis illi circulo cuius radius potest illud rectangulum. Quod demonstrandum erat.

Quod autem duo illa rectangula æqualia sint sic habetur: In utroq; est unum idemque latus BF , & alterum latus est recta æqualis, in uno quidem rectis latera figuræ inscriptæ iungentibus, in altero verò duplicatis illis rotationum Radijs: Nam ex 21 Archimedis huius libri constat omnes illas iungentes latera

FV ,

EV, CZ, Ia ad circuli diametrum *BD* esse ut *FD* ad *FB*, sed & nos demonstravimus [*Lib: 2. Cap: 7. Propos: 4. Num: 7.*] radios *ET, GX, HT, KS* ad *BA* esse, ut *AE* ad *EB*, hoc est, duplicatos radios *EL, GQ, HR, KM*, ad *BD* esse, ut *FD*, ad *BF*; Ergo [*per 9 quinti Elementorum*] iungentes latera & duplicati Radij sunt inter se æquales: Ergo & rectangula. Manifesta ergo est tota Propositio.

S C H O L I V M.

PROPOSITIONES Archimedis proxime sequentes, cum sint potissimum in ordine ad trigessimam, & ipsa posteriores, ijs omisis Illam ipsam ad prodigium usque Admirabilem Propositionem trigessimam ex solis nostris principijs, & absque prodigio, & sine illis prerequisiteis, demonstrare aggredimur.

P R O P O S I T I O V I I.

Quæ est Archimedis Lib: 1. De Sphæra & Cy-
lindro Trigesima.

Cuiuscunq̃ue Sphæra superficies quadrupla est maximi circuli eorum qui sunt in ipsa.

ESTO semicircumferentia circuli *ABC*, rotanda circa axem *AC*, ut describat superficiem Sphæricam, cuius centrum gravitatis punctum *E*, & sit Radius rotationis *ED* cuius peripheria est via rotationis. Oportet demonstrare hanc descriptam superficiem Sphæricam, æqualem esse circulo maximo in Sphæra, (hoc est, circulo cuius radius *BD*,) quater sumpto.



Est autem in primis ut medietas viæ rotationis, sive semiperipheria minor, ad semiperipheriam maiorem *ABC*, ita radius illius *ED*, ad radium huius *BD*: Sed ut *ED* ad *BD*, ita *DA* semisubtensa semicirculi, hoc est, eadem *BD* ad arcum *BFA*, hoc est, ad quartam partem peripheriæ maioris? [*ex Propos: 2. Cap: 5. Libri Primi*] Ergo est etiam ut medietas viæ rotationis, ad semiperipheriam *ABC*, ita idem radius *BD*, ad eandem quartam partem peripheriæ maioris. Ergo rectangulum sub extremis, hoc est, sub semisse viæ rotationis, & quarta parte maioris peripheriæ, æquatur rectangulo sub medijs, semiperipheria *ABC* & radio *BD*: Sed illud rectangulum æquatur quartæ parti superficiæ Sphæricæ (tota enim superficies Sphærae producitur, ex tota viæ rotationis in semiperipheriam maiorem, ex demonstratione Propos: 1. Cap: 2. Lib: 3.) & hoc rectangulū æquatur circulo maximo Sphærae. Ergo tota Sphærica superficies æqualis est circulo maximo quater sumpto. Quod erat demonstrandū.

A L I T E R.

DOCUIMUS alibi [*Num: 3. Scholij Propos: 2. Cap: 12. Lib: 2.*] viam quam diximus rotationis, peripheriam videlicet circuli cuius Radius *DE* æqualem esse duplicatæ diametro *AC*. Ergo rectangulū sub hac duplicata diametro, & totius circuli semiperipheria *ABC*, est quadrupla rectanguli, sub eadem semiperipheria & semidiametro *AD* vel *BD*. [*ex prima Secundi*] Sed illud re-
ctangulum

Rr

ctangulum

et angulum æquale est superficiem Sphæræ, [ex Propos: 1. Cap: 2. Lib: 3.] & hoc æquale est circulo maximo. [per Propos: 1. Cap: 1. Libri 3.] Ergo &c.

PROPOSITIO VIII.

Quæ est Archimedis Lib: 1. De Sphæra & Cy-
lindro Trigesima Prima.

Omnia Sphæra quadrupla est Coni, basim quidem habentis æqualem maximo circulo eorum qui in Sphæra, altitudinem verò radium Sphære.



ESTO circuli maximi in Sphæra semissis ABC , ei que inscriptum triangulum rectangulum ABD , cuius basis semidiameter circuli BD & perpendiculum semidiameter AD , ex rotatione igitur semicirculi circa axem AC , describitur Sphæra; & ex rotatione trianguli fiet Conus, cuius basis circulus maximus Sphæræ, & altitudo DA , eiusdem Sphæræ radius. Dico Sphæram esse quadruplam Coni huius. Ducta BC , erit ABC semi quadratum inscriptum semicirculo: ac proinde semicirculus ad semi quadratum, ut semicircumferentia ad diametrum. [ex Coroll: 2. Propos: 3. Cap: 6. Libri 2.] Componitur autem Sphæra ex rotatione semicirculi, hoc est [per Propos: 1. Cap: 4. Lib: 3.] ex ductu areæ semicirculi in quatuor tertias diametri; & duplus conus (illius de quo Propositio) quem rotatio semi quadrati ABC circa axem AC describit, componitur ex ductu areæ eiusdem semi quadrati in tertiam partem peripheriæ: (Rotationis enim radius [per Propos: 3. Cap: 8. Libri 1.] est FD tertia pars semidiametri BD , & sic via rotationis est tertia pars peripheriæ ex radio BD) Quare cum area semicirculi, ad aream semi quadrati sit (ut diximus) ut semicircumferentia ad diametrum: loco illarum arearum assumam⁹ terminos istos proportionis; pro semicirculo nimirum semicircumferentiam, & pro semi quadrato diametrum. Ergo semicircumferentia ducta in quatuor tertias diametri, est loco Sphæræ; & diameter ducta in tertiam partem circumferentiæ, vel quod idem est, tertia pars diametri in circumferentiam, hoc est, duæ tertiæ diametri in semicircumferentiam, est loco duplicis Coni. Sed semicircumferentia ducta in quatuor tertias diametri, producit duplum eius, quod duæ tertiæ in eandem semicircumferentiam. Ergo Sphæra est dupla duplicati Coni & quadrupla Coni simplicis. Quod erat demonstrandum.

COROLLARIUM.

SEQVITUR hinc Hemisphærium duplum esse Coni, eandem cum ipso basem & axem habentis.

PROPO-

PROPOSITIO IX.

Quod est Manifestum Nonum, Archimedis
Lib: 1. De Sphæra & Cylindro.

Manifestum quod omnis Cylindrus, basim quidem habens maximum circulum eorum qui sint in Sphæra, altitudinem verò equalem diametro Sphære, sesquialter est Sphæra. Et superficies ipsius cum basibus, etiam sesquialtera est superfici ei Sphære.

DEMONSTRAVIMUS Propositione præcedenti Sphæram esse quadruplam Coni habentis basem circulo maximo, & altitudinem radio Sphære æqualem, huius verò Coni duplus est Conus habens eandem basem & altitudinem diametrum Sphære [*per Propof: 10. Cap: 6. Libri 3.*] ac proinde Sphære subduplus, Cylindri verò [*ex Propof: 2. eiusdem Capituli*] in hac Propositione descripti subtripus. Sequitur qualium partium idem Conus est 1, talium Sphæram esse 2, & Cylindrum 3. Ergo Cylindrus ad Sphæram est in proportione sesquialtera. Quod primò erat demonstrandum.

De Superficie verò res sic habet: Superficies Sphære [*per Propof: 1. Cap: 2. Lib: 3*] producitur ex ductu duplæ diametri in semicircumferentiam; Superficies verò Cylindri ex ductu simplæ diametri in totam circumferentiam; & binæ superficies basium Cylindri simul, ex ductu eiusdem diametri in semicircumferentiam: qualium ergo partium tres hæ superficies simul sunt trium, talium est Superficies Sphære duarum; quæ est proportio sesquialtera. Ergo &c. Quod secundò erat demonstrandum.

SCHOLIUM.

PROPOSITIONEM 32 & reliquas usque ad 36, cum sint minus præcipue, & ab Archimede commodè demonstrantur, eas nos ex instituto præterimus, & ad solenniores, quæq; ab Archimede negativè demonstrantur, Stylum convertimus; Propositiones autem 36 & 37 unica demonstratione sic confirmabimus, ut non solum valeat pro Portionibus Hemisphærio maioribus & minoribus, sed etiã pro ipso Hemisphærio.

PROPOSITIO X.


Quæ complectitur Propositiones Archimedis
Lib: 1. de Sph: & Cylindro Trigesimalam Sextam
& Trigesimalam Septimam.

Cuiuscunq; portionis Sphære minoris hemisphærio superficies, æqualis est circulo cuius radius æqualis est, lineæ à vertice portionis in peripheriam ductæ circuli, qui basis est portionis Sphære.

Rr 2

Et sè

Et si maior fuerit hemisphærio portio, similiter ipsius superficies æqualis est circulo, cuius radius æqualis est lineæ ductæ à vertice ad circumferentiam circuli, qui basis est portionis.



EST O Sphærae circulus maximus $BCDCB$, & communis sectio ipsius ac plani, Sphæra in binas portiones dispendentis, recta BED , atq; ex rotatione arcus CMB , circa axem CE , descriptæ sint duarum sphericarum portionum, minoris scilicet & maioris hemisphærio, superficies $BMCD$; & sit ducta à vertice portionis C , in peripheriam circuli basis quam fecit planum secans, recta CB , ducti sint etiam ad M medium punctum arcuum BMC , radij AM , bisecantes rectas CB in puncto G . Dico superficiem portionis sphaeræ æqualem esse circulo, cuius radius CB .

Sit enim punctum L [per Propos: 2. Cap: 5. Lib: 1. inventum] centrum gravitatis arcus BMC , & ductus Radius rotationis LF , eique parallela MN . Superficies portionis sphaeræ, cuius arcus maximus BCD , componitur ex ductu peripheriæ radij LF , in arcum BMC : & superficies circuli, cuius radius BC , componitur ex ductu peripheriæ radij GC , in rectam BC . Est autem [ex eadem Propos: Libri primi] ut arcus BMC , ad subtensam BC , ita AM radius circuli maximi, ad AL determinantem centrum gravitatis L ; hoc est, in triangulo AMN , ita latus MN , ad parallelam LF ; hoc est, ita GC ad eandem LF : (est enim GC æqualis ipsi MN , cum utraq; sit sinus eiusdem arcus MC) Ergo rectangulum sub extremis arcus BMC , in LF , æquale est rectangulo sub intermedijs, BC in GC . Ergo etiam arcus BMC , in peripheriam radij LF , quæ est superficies portionis Sphærae, five minoris five maioris hemisphærio, æqualis est ipsi BC in peripheriam radij GC , hoc est, superficiem circuli radij BC . Quod erat demonstrandum.

S C H O L I V M.

DI X I M U S in Scholio Propositionis precedentis, Demonstrationem proxime positam, valere non solum pro superficiebus portionum Sphærae hemisphærio minoribus & maioribus, sed etiam pro superficie ipsiusmet hemisphærij: quod clare constaret ex ipsismet Propositionis huius verbis, si diagrammati lineas ac litteras requisitas, quas ad confusionem vitandam omisimus, apposuissemus. Interim tamen manet Propositionis veritas; ex qua deducimus tertiam Demonstrationem Propositionis Admirabilis, quam in nostra septima, numero etiam mystico, produximus; Superficiem nimirum Sphærae quadruplam esse circuli maximi eiusdem Sphærae,

Propositio VII. demonstratur rursus

ALITER

A L I T E R.

CUM enim ex hac Propositione proxima circulus cuius semidiameter AB vel BC , æqualis sit superficiei hemisphærij, hic autem circulus sit duplus circuli maximi, erit totius Sphæræ superficies quadrupla circuli maximi. Sunt enim circuli inter se ut à diametris aut semidiamentris quadrata; quadratum autem ipsius AB vel BC , duplum est quadrati AD vel DC . Ergo tertio Propositionem Admirandam demonstravimus, Quod faciendum erat,




P R O P O S I T I O X I.


Quæ est Archimedis Lib: 1. De Sphæra & Cy-
lindro Trigesima Octava, sive Vltima.

Omni segmento Sphæræ, æqualis est Conus qui basim quidem habeat æqualem superficiei segmenti Sphæræ, quæ sectioni respondet, altitudinem verò æqualem radio Sphæræ.

ESTO circulus maximus Sphæræ $CBCDC$, in quo sit sector circuli $ABMC$, sive minor sive maior semicirculo, in sui rotatione circa axem CAC describens segmentum Sphæræ; (sic hoc loco vocat Archimedes sectorem solidum) sit & triangulum rectangulum ACE , cuius latus CE statuatur æqualis subtendenti BC arcum sectoris BMC , describens circa eundem axem CAC Conum, cuius baseos superficies [*ex Propos: præcedenti*] est æqualis su-



perficiei portionis Sphæræ descriptæ ab arcu BMC . Dico Conum hunc æqualem esse segmento Sphæræ, sive sectori solido. Sint enim ductæ rectæ AM , AH ; illæ ad medium punctum M , arcum BMC , secantes subtensas BC in G ; hæ verò ad medium punctum H rectarum EC ; & aliæ etiam ex punctis M ad CAC perpendiculares MR : Sit denique punctum L centrum gravitatis circuli sectoris $ABMC$, & punctum I centrum gravitatis trianguli ACE , erit in primis [*ex Propos: 1. Cap: 9. Lib: 1. Centrobarycorum, & 15 quinti Elementorum*] ut semissis ipsius arcus BMC , hoc est, arcus MC ad rectam GC semisubtensam, hoc est, ad HC ipsi æqualem; ita duæ tertiæ radij, hoc est, AN , ad AL . In triangulo verò HCA est ut radius AC , ad eandem HC , ita eadem AN ad NI .




Cum ergo in his binis proportionibus intermedij termini sint ijdem, erunt rectangula sub extremis æqualia, hoc est, MC in AL , ipsi AC in NI ; ac proinde [per 14. Sexti] est ut radius AC ad arcum MC , ita AL ad NI , Radium rotationis trianguli ACE : deinde in triangulo ARM est ut AM , hoc est ut radius AC ad MR , hoc est ad GC , hoc est ad HC ; ita AL ad FL . Radium rotationis

$AC. MC. AL. NI.$
 $AC. HC. AL. FL.$

sectoris $ABMC$. Cum ergo in his alijs binis proportionibus termini primi & tertij AC & AL sint ijdem, & rectangula sub intermedijs, hoc est MC in AL , & HC in AL , æqualia rectangulis sub extremis, hoc est ipsis AC in NI , & AC in FL , erunt duo priora rectangula, ad posteriora duo [per 1. Sexti] ut reliqua latera, hoc est ut arcus MC ad HC ; ita NI ad FL . Sed ut arcus MC ad HC , ita est sector. circuli rotandus $ABMC$, ad triangulum rotandum ACE . Sector enim æqualis est triangulo rectangulo, cuius unum latus circa rectum est radius AC , ut sit eadem altitudo cum triangulo ACE , & alterum æquale arcui BMC , ergo [per 1. sexti] sector ad triangulum est ut bases, hoc est ut BMC , ad CE , hoc est, MC ad HC : sed ut MC ad HC , ita probavimus esse NI ad FL , hoc est reciprocè Radium rotationis trianguli, ad Radium rotationis Sectoris: Ergo [per Coroll: 2. Propositionis 3. Cap: 8. Libri 2.] Segmentum Sphæræ est æquale Cono proposito. Quod erat demonstrandum.

SCHOLIUM.



HÆC demonstratio suam vim habet, etiamsi loco segmenti intelligatur Hemisphærium; omnia enim quadrant si vicem sectoris subeat Quadrans circuli BMC , & triangulum fiat ACE , cuius latus EC , circa rectum sit ipsi BC , que quadrantem subtendit, æquale &c.

COROLLARIUM.

EX quibus deducimus Sphæram duplam esse Coni, qui basim habeat æqualem superficiem Hemisphærij, altitudinem verò æqualem radio Sphæræ. Immo hinc etiam Propositionem octavam huius Capitis alio modo demonstrabimus.

Propositio Trigesima Prima Archimedis Lib: 1. De Sphæra & Cylindro supra Propositione octava relatâ, demonstratur ALITER

A L I T E R.

CONI eiusdem altitudinis inter se sunt ut bases [*per Propos: 9. Cap: 6. Lib: 3.*] & bases inter se sunt ut à diametris vel semidiamentris quadrata; Conus hic descriptus habens suæ basis semidiamentrum EC , hoc est BC , cuius quadratum quadrati semidiamentri BA , vel CA basis Coni Propos: 8. huius descripti est duplum; erit Conus hic descriptus illius Coni duplus. Sed [*ex Corollario precedenti*] Sphæra est dupla eiusdem Coni hic descripti: ergo eadem Sphæra quadrupla est illius Coni. Quod erat demonstrandum.

C A P U T I I.

D E P R Æ C I P U I S

Theorematis, ab Archimede Libro de
Conoidibus & Sphæroidibus relatis,
& demonstratis.

PRÆDITIS precedenti Capite demonstrationibus nostris, Propositionum earum quæ principem locum inter reliquas obtinere visæ sunt, in Libro primo Archimedis de Sphæra & Cylindro; Capite hoc nobis propositum est demonstrare, vel ex solis nostris principijs, vel longe faciliori modo quam id præstitit sive Archimedes Ipse, sive eius Commentatores, quales sunt Propositiones 23. 29. 31. (quæ negative sive demonstratione ad absurdum ducente probantur) quas sine tot ambagibus, quibus usus est Archimedes, meo iudicio ideo, ut Lectorem ad maiorem sui traheret admirationem, & ostensive & facili negotio demonstrabimus. Initium ducemus à Propositione undecima, quam Archimedes supponit ab alijs esse demonstratam: Apud quem veterem Authorem inquit hoc loco Commentator ipsius Rivaltus hæc demonstratio reperiatur, nondum scitur, ea tamen omnia ipse Rivalentus demonstrat non solum de Conis & Cylindris, sed de quibuslibet similibus solidis. Addit tamen hoc loco Commandinus: Et quamquam verissimum sit, in omnibus non solum Conis, sed & Cylindris ipsis, potissimum tamen de ijs dicitur, qui super inæquales bases, & inæquali altitudine constituuntur: qui etiam eadem omnia ante Rivalentum ingeniosissime demonstravit; ita ut superfluum videri possit, illa eadem hîc iterum referre. Quia tamen Libro 3. Capite 6. quo quedam ex hac Propositione maxime spectabant, eo quod mentem non adverterimus, ibi neglecta sunt, ea hoc loco ita compensare volumus, ut non solum Archimedea, sed & nostra in fine huius Propositionis adderemus.

PROPO-

PROPOSITIO I.

Quæ est Archimedis de Conoidibus & Sphæroidibus Vndecima.

Quod quidem omnis Conus ad Conum compositam habeat rationem, tam ex ratione basium, quam ex ratione altitudinum, demonstratur ab ijs qui ante fuerunt: Eademque demonstratio concludit, quod omne segmentum Coni, compositam rationem, habet tum ex basium, tum ex altitudinum ratione.

Et quod omnis portio Cylindri, tripla est segmenti Coni eandem basem habentis, quam portio, & eandem altitudinem. Hæc ipsa demum demonstratio ostendit quod Cylindrus triplus est Coni basem habentis eandem cum Cylindro, altitudinemque eandem.

Item omnis Conus ad Conum compositam habet proportionem, ex ratione triangulorum per axem, & ex ratione trientium diametrorum basium: Sic omnis Cylindrus ad Cylindrum proportionem habet compositam, ex ratione rectangulorum per axem, & ex semissibus diametrorum basium.

PRIORES duæ huius Propositionis partes, non solum de Conis, sed & de Cylindris demonstrant, ut diximus, Commandinus & Rivaltus: & sequentes duas partes, si quidem de Cono & Cylindro recto sermo sit, demonstrabimus Capite sequenti Propos: 2. Ultima verò pars, quam nos adiunximus, constat ex Corollario 3. Propositionis 3. Cap: 8. Libri 2. Ex eo enim habetur Coni ad Conum proportionem compositam esse, ex ratione triangulorum & rectangulorum rotatorum, quæ Conos & Cylindros descripserunt, & ex ratione Radiorum rotationum. Sed illa triangula & rectangula sunt subdupla triangulis & rectangulis per axem: & Radij rotationis sunt subdupli Conorum quidem trientum, Cylindrorum verò semissium basium; ergo manet eadem proportio, & eadem compositio. Manifesta ergo sunt omnia proposita.

SCHOLIUM.

EN debilitatem memoria senis! Cum hæc scripsssem, venit in mentem me priorem partem huius Propositionis non solum de Conis, sed & de Cylindris deduxisse ex Propositionibus 9. & 10. Cap: 6. Lib: 3. tanquam Corollarium, in quo brevissime demonstravimus, tam Conorum quam Cylindrorum proportionem, componi ex proportionem basium, & ex proportionem altitudinum; quo potius Lectorem ablegamus, quam vel ad Commandinum, vel ad Rivalentum.

PRO.

CONSTAT [*ex Corollario Propof: 8. Capitis præcedentis*] hemisphærium duplum esse Coni, eandem cum ipso basem & axem habenti. Demonstravimus etiam [*Propof: 24. & 25. Cap: 6. Lib: 3.*] Sphæram ad Sphæroidem, cuius alteruter axis æqualis sit axi Sphæræ, esse ut quadratum axis illi⁹ æqualis, ad quadratum alterius axis: Idemque demonstravimus [*Propof: 29.*] de Portionibus; quibus adnumerantur & hemisphærium & hemisphæroides. Cum ergo hemisphærium ad hemisphæroidem sit ut quadratum axis, ad quadratum axis, vel ut quadratum radij basis hemisphærij, ad quadratum radij basis hemisphæroidis, & eandem proportionem habeant Coni illis inscripti, eiusdem nimirum altitudinis, [*ex Propof: 9.*] ut basis ad basem, hoc est [*per Propof: 1. Cap: 5.*] ut quadrata radiorum basium. Ergo ut hemisphærium ad hemisphæroidem, ita est Conus hemisphærio inscriptus, ad Conum hemisphæroidi inscriptum: & permutando ut hemisphærium ad suum Conum, ita hemisphæroidis ad suum Conum: sed hemisphærium, ut diximus duplum est sui Coni, ergo etiam hemisphæroidis dupla est sui Coni. Quod erat demonstrandum.

PROPOSITIO IV.

Quæ est Archimedis De Conoidibus & Sphæroidibus Trigesima Prima.

Cuiuscunque figura Spheroide plano non per centrum sectæ, sed recto ad axem: minor Portio ad Conum, eandem cum ipsa basim habentem, eundemque axem, hanc habet rationem, quam linea composita ex dimidio axe Sphæroidis, & ex axe maioris Portionis, habet ad axem maioris Portionis.

DEMONSTRAVIMUS in præcedenti Propositione Portionem Sphæricam ad sibi inscriptum Conum esse, ut Portio Sphæroidica eiusdem altitudinis ad sibi inscriptum Conum: Sed Portio Sphærica [*per Propof: 19. Cap: 6. Libri 3.*] ad Conum sibi inscriptum eam proportionem habet, quam linea composita ex semiaxe Sphæræ, & altitudine sive axe reliquæ Portionis, habet ad hunc ipsum reliquæ Portionis axem. Ergo & Portio Sphæroidica ad Conum sibi inscriptum eam habet proportionem quam linea composita ex dimidio axe Sphæroidis, & ex axe maioris Portionis, habet ad axem maioris Portionis. Quod erat demonstrandum.

COROLLARIUM.

HÆC Propositio vera est etiam de proportione maioris Portionis Sphæroidis ad Conum sibi inscriptum: habet enim eam proportionem quam linea composita ex dimidio axe Sphæroidis, & ex axe minoris Portionis, habet ad axem minoris Portionis. Nam hoc demonstravimus de proportione Sphæricæ Portionis ad sibi inscriptum Conum [*Propof: 19. Cap: 6. Libri 3.*] modo Sphæra eundem axem habeat cum maiore axe Sphæroidis Altæ.

PROPO-

PROPOSITIO V.

Quæ est Archimedis De Conoidibus & Sphæroidibus Trigesima Tertia.

Cuiuscunque figura Sphæroidicæ plano secta recto ad axem non per centrum, maior Portio ad Conum, qui basim habeat eandem quam Portio, & axem eundem, eam habet rationem, quam æqualis duabus, & dimidiæ axis Sphæroidis, & axi minoris Portionis, habet ad axem minoris Portionis.

EA que Archimedes Propositione 31. demonstravit de Portione minore Sphæroidis Alta, hæc in hac Propositione demonstrat de Portione maiore Sphæroidis Lata. Nos eam quemadmodum precedentem breviter sic demonstramus.

Constat ex supradiçtis Portionem Sphæricam ad sibi inscriptum Conum esse, ut Portio Sphæroidica eiusdem altitudinis ad Conum sibi inscriptum. Sed Portio Sphærica [per Propos. 19. Cap. 6. Libri 3.] ad Conum sibi inscriptum eam proportionem habet, quam linea composita ex semiaxe Sphære & altitudine sive axe reliquæ Portionis, habet ad hunc ipsum reliquæ Portionis axem. Ergo etiam Portio Sphæroidica ad Conum sibi inscriptum eam habet proportionem quam linea æqualis duabus, & dimidiæ axis Sphæroidis, & axi minoris Portionis, habet ad axem minoris Portionis. Quod erat demonstrandum.

COROLLARIUM.

HÆC Propositio verificatur etiam de portione Portionis minoris Sphæroidis ad Conum sibi inscriptum: habet enim eam proportionem quæ linea æqualis duabus, & dimidiæ axis Sphæroidis, & axi maioris Portionis, habet ad axem maioris Portionis. Siquidem hoc demonstravimus de portione Sphæricæ Portionis, ad sibi inscriptum Conum [in Propositione 19. Cap. 6. Lib. 3.] dummodo Sphæra æqualem vel eundem axem habeat, cum minore axe Sphæroidis Lata.

SCHOLIUM.


MIRORE sane de his, quæ hisce duobus Corollarijs attulimus, Archimedis Commentatores Commandinum atque Rivalto nihil adnotasse, sed silentio præterisse; quæ quidem missa facimus. Non erit autem abs re Caput hoc concludere cum Propositione 20 eiusdem Archimedis de Conoidibus & Sphæroidibus, cum enim Archimedes eam demonstrasset per superpositionem, indigna Archimede illa demonstratio visa est ipsi Rivalto, quare eam per rotationem aliter demonstrare voluit, ex ipsa videlicet genesi Sphæroideos: sic enim loquitur in Scholio ad hanc vigesimam Propositionem. Hæc Propositio fidem omnem accipit à 23 definitione huius: ita ut expositione circumvolutionis, qua Sphæroides gignitur tota dependeat. Archimedes quidem duplici utitur Sphæroide, & aliquot sectionibus: Deinde

frusta sibi invicem applicat, concluditque, quia Ellipsium ex divisionibus enatarum partes conveniunt, corpora esse æqualia, superficiesq; ambientes æquales. Verum multa à protervo negari possunt, cui non satis fiet nisi recurratur ad principium, ac nisi principij autoritate Propositio fulciatur. Quæ cum nuda sit, facile mihi persuasi meam ratiocinationem hic admitti facilius, cum & principio nitatur, & nihil mechanicum redoleat, & demum sensui ac rationi sit accomodatior. Sunt enim qui superpositiones illas rejiciant in Geometria (quamquam alij & viri graves admittant) tum nudum principium longissime recedit ab integro conceptu Propositionis, denique conclusioni seu *συμπεροσφωαν* plenè sola definitione non satisfaceret. Sed Propositionem ipsam uix à cum Rivalti demonstratione, cum longa non sit, in medium afferamus.

PROPOSITIO VI.

Quæ est Archimedis De Conoidibus & Sphæroidibus Vigesima.

Omnia figura Spheroidea plano secta per centrum, bifariam secatur à plano, & ipsa & superficies ipsius.



SIT Sphæroidis $AEBF$ secta plano per centrum K transeunte. Dico bifariam secari & corpore, & superficie. Agatur planum per axem AB , quod expositam figuram secet, & producat Ellipsim $AEBF$. Etenim Sphæroidis secatur, vel per axem, vel perpendiculariter axi, hoc est per diametrum, vel oblique ad axem. Duobus primis modis secatur bifariam, ut ad definit: 23 docuimus. At si fuerit sectio obliqua ad axem, fiet secundum lineam CD , communem nempe occursum tam plani secantis per CD , quam plani acti per axem AB . Siquidem Ellipseos $AEBF$ eiusdem quæ figuram produxit diameter est CD , & proinde sunt æquales, similes & similiter positæ partes $CAFD$, & $CEBD$. Ipsæ ergo æquales & similes describunt partes; ut in eodem loco definivimus. Quocumque ergo modo, planum agatur, dummodo transeat per centrum, secat Sphæroidem, Sphæroidisque superficiem in partes æquales. Quod erat demonstrandum.

SCHOLIUM.

HÆC Rivaltus ex sua potius, quam Archimedis mente, quantum quidem ex verbis Archimedis colligere licet; sed non male: rectius enim demonstratur ex genesi & principijs quodammodo intrinsecis, quam ex comparatione aut superpositione: Videtur ergo Rivaltus velle semiellipsim $CAFD$, circa axem AK rotatam, tantum describere & soliditatis, & superficiem, quantum altera semiellipsim $CEBD$ circa axem BK rotata; id quod verissimum est, & rationi magis consentaneum, quam illa Archimedis superpositio. Nos non integra plana, quale est semiellipsim $CAFD$, per quod axis rotationis transit, sed partem tantum circa axem, qui partem illam terminet,

net rotamus; sicut Euclides genesin Sphæra, Coni & Cylindri, non explicat per motum circuli, trianguli & reſt anguli per axem, ſed per gyrationem ſemicirculi, ſemiotrianguli, & ſemirect anguli, quæ plana ipſe rotationis axis terminat vel attingit, qua in re integra revolutione opus eſt. Potuiſſet quidẽ idem dici de motu integri circuli, integri trianguli, & integri reſt anguli: ſed per ſemirevolutionẽ. Ipſe autẽ magis ad univerſalitatẽ attendens plana nominat, quæ per integrã revolutionem ſua corpora deſcribant; quem nos hucusque in noſtris rotationibus ſecuti ſumus. Et ſane in hac ipſa ſemiellipſis CAFD circa axem revolutionem, ſi quidem, ut decet, ſemirevolutione tantum fiat, habebimus quidem partes ſolidas quæ hemiſphæroidem componant, compositio tamen illa intellectui ſive imaginationi primo intuitu non eſt clara & obvia. Si verò eandem ſemiellipſim CAFD diviſerimus in tres partes CAK, AKF, & FKD, eaſq; ſeorſim per integram revolutionem, circa axem rotationis AK, partes illas vel terminantem, vel attingentem rotaverimus, deſcribet pars AKF, quæ eſt quadrans ellipſis hemiſphæroidem ECAF, æqualem omnino & quoad corpus, & quoad ſuperficiem hemiſphæroidi EBDF, quam deſcribit quadrans ellipſis EBK, priori quadranti æqualis. Sed non minus reliquæ partes ſemiellipſis CAFD, nimirum CAK, quam axis AK terminat, & FKD quæ axem in puncto K attingit, hemiſphæroidem deſcribunt, æqualem per omnia & corpore & ſuperficie, quam partes alterius ſemiellipſis CEBD, hoc eſt BDK, & CEK circa axem BK deſcribunt. Nam id ſolidum quod deſcribitur à parte CAK, & DBK ut compleat hemiſphæroidem FACE & FDBE, indiget adhuc parte ſolida deſcribenda à parte plana CEK & DFK, cum ergo tam hæ partes planæ, quam illæ priores ſint tam quoad aream, quam quoad lineas curvas æquales, deſcribent illæ & component hemiſphæroides, & corpore & ſuperficie æquales. Quod erat propoſitum.

CAPUT III.

DEMONSTRANTUR

aliquot Propoſitiones clarius atque facilius,
quam ab Euclide demonſtratae ſunt

Libro Duodecimo Elementorum.



POST QUAM debito cum honore gratiarumq; actione, res quæ cum Principe noſtro Archimede tractanda erant, abſolvimus, audemus etiam aggredi communem Geometrarum Magiſtrum, Accuratiffimum & Oculatiffimum Euclidem; non quidem ea ratione & modo, quo illum aggreſſus eſt, de quo nos Libro ſecundo Capite I. Propoſ: 4. Num: 15. Ioannes Alphonſus Molinensis Canus, quamvis illum Præceptorem ſuum & Magiſtrum communem vocet. Nam licet ille ſua quædam, ut in loco monuimus

nuimus, per ipsum Euclidem suo modo demonstraverit, per illa eadem tamen ipsum eundem in multis confutat, reprobat, abijcit. Non ita nos, sed cum omni honore debitaq; reverentia, qua plane dignissimus est, tractabimus, hoc est Propositiones quasdam Libro Duodecimo Elementorum, ad Stereometriam spectantes, quas Ipse quemadmodum Archimedes suas negative, & adversarium ad absurdum ducens, demonstravit, nos idem ut precedentibus Capitibus in Archimedeis fecimus, ostensive & brevius concludemus, ponentes primo loco eam Propositionem quam Libro tertio demonstravimus.

PROPOSITIO I.

Quæ est Euclidis Libri XII Elementorum Secunda.


Circuli inter se sunt, quemadmodum à diametris quadrata.

HANC Propositionem Euclides ordinata quidem, sed longa methodo demonstrat, negative videlicet sive ducendo ad absurdum, nos eam breviori Demonstratione, & affirmative quidem sive ostensive, Libro 3. Cap: 5. Propos: 1. absolvimus.

PROPOSITIO II.

Quæ est Euclidis Libri XII. Decima.

Omnis Conus tertia pars est Cylindri eandem cum ipso basim habentis, & altitudinem æqualem.



ESTO triangulum ACD , & rectangulum $AFDC$ habentia eandem, vel æquales bases AC , & altitudines æquales CD , describentia circa axem DC Conum & Cylindrum eiusdem, vel æqualium basium, & altitudinum. Sint etiam puncta I & M centra gravitatis, illud quidem trianguli bisecans ductam BE , quæ latera DA , DC ita dividit ut pars superior ad inferiorem sit dupla; [ex Propos: 4. Cap: 8. Libri 1.] hoc punctum verò M centrum rectanguli, consistens [per Propos: 6. Cap: 8. Libri 1.] in medio rectæ GH , latera opposita FA , DC bisecantis. Dico Conum ad Cylindrum esse subtripulum. Proportio enim Coni ad Cylindrum componitur [per Coroll: 3. Propos: 3. Cap: 8. Libri 2.] ex proportione trianguli ACD ad rectangulum $AFDC$, quæ [per 41. primi] est subdupla; & ex proportione Radiorum rotationis IE trianguli, & MH quadranguli, quæ est subsesquialtera. Qualium enim in triangulo DAC basis AC , hoc est, ipsi æqualis GH est 6, talium BE , [ex constructione, & 2. Sexti] est 4, ac proinde semisses illarum MH & IE , 3 & 2, hoc est IE ad MH in proportio-

ne sub-

ne subsequaltera. Quare expositis harum proportionum componentium terminis 1 ad 2, & 2 ad 3, in quibus medijs termini sunt æquales. Ergo proportio ex his composita Coni nimirum ad Cylindrum [per Coroll: 4 Propof: 3. Cap: 8. Libri 2.] est ut 1 ad 3, quæ est subtripla. Quod erat demonstrandum.

PROPOSITIO III.

Quæ est Euclidis Libri XII. Undecima.

Sub eadem altitudine existentes Coni, & Cylindri, inter se sunt ut bases.

SIT Conus & Cylindrus ut ante: Sit deinde alius Conus & alius Cylindrus, descripti per triangulum LCD , & rectangulum $LKDC$, habentes easdem bases & altitudines. Dico ipsos inter se esse ut bases, quarum radij sunt CL , CA , hoc est, Conus ad Conum, & Cylindrus ad Cylindrum. Demonstremus id prius de Cylindris: Est autem Cylindrorum proportio [per Coroll: 3. Cap: 8. Libri 2.] composita ex proportione rectangulorum rotatorum KC ad FC , & ex proportione Radiorum rotationis, qui sunt semisses rectarum NM , GM , hoc est, ex proportione ipsarum NM ad GM , quæ æquales sunt radijs LC , AC . Sed proportio rectangulorum KC ad FC , est eadem quæ LC ad AC . [ex 1. Sexti] Ergo proportio Cylindrorum composita est ex proportione LC ad AC , & ex proportione eorundem LC ad AC ; quare Cylindrorum proportio est duplicata proportionis LC ad AC : Sed & basium proportio est duplicata proportionis radiorum LC ad AC [per Propof: 1. Cap: 5. Libri 3.]. Ergo proportio Cylindri ad Cylindrum est eadem quæ proportio basium ad basim. Quod primò erat demonstrandum.


Eodem plane modo demonstratur de Conis: Sunt enim triangula LCD , ADC inter se ut bases, & Radij rotationum, qui sunt semisses ipsarum OE , BE , eandem proportionem habent quam LC , AC . Constat ergo propositum. Quod secundò demonstrandum erat.

PROPOSITIO IV.

Quæ est Euclidis Libri XII. Duodecima.

Similes Coni & Cylindri, in triplicata ratione sunt diametrorum, quæ in basibus.

SINT duo Coni descripti à triangulis similibus BCD , FCG ; sint & duo Cylindri descripti à rectangulis similibus AC , EC , circa eundem axem BC . Dico tam Conos quam Cylindros esse in triplicata diametrorum basium, vel quod idem est in triplicata ratione semidiametrorum,



DC,



DC, GC . Proportio tam Conorum, quam Cylindrorum componitur [per Coroll: 3. Propos: 3. Cap: 8. Lib: 2.] ex proportione triangulorum BCD, FCG , & rectangulorum AC, EC ; hoc est [per 19. & 20. Sexti] ex proportione duplicata laterum homologorum DC ad GC ; & proportione Radiorum rotationis, qui eandem proportionem habent quam eandem DC ad eandem GC ; & sic componuntur ex triplicata proportione ipsius DC ad GC . Ergo similes Coni & Cylindri in triplicata sunt ratione semidiametrorum basium, vel quod idem est diametrorum. Quod erat demonstrandum.

S C H O L I V M.

SEQVENS Euclidis Propositio 13, idem concludit quod decima quarta, licet alijs proponatur verbis, si quidem de Cylindris rectis tantum, de quibus solis nos, sit sermo; omissa ergo illa 13, ad hanc 14 gradum facimus.

P R O P O S I T I O V.

Quæ est Euclidis Libri XII. Decima Quarta.

Super equalibus basibus existentes Coni, & Cylindri, inter se sunt, ut altitudines.

SUNTO duo Coni, & duo Cylindri descripti à binis triangulis BCG, FCG , & binis rectangulis HC, EC habentibus eandem basim GC , circa axem rotationis BE . Dico tam Conos, quam Cylindros inter se esse, ut altitudines BC, FC . Proportio enim & Conorum & Cylindrorum inter se componitur [ex Coroll: 3. Propos: 3. Cap: 8. Libri 2.] ex proportione eorundem quos diximus triangulorum & rectangulorum; hoc est [per 1. Sexti] ex proportione BC ad FC ; & ex proportione Radiorum rotationis, quæ est æqualitatis; (de Radijs enim Cylindrorum clarum est, sunt enim semisses eiusdem basis GC , sed non minus clarum est de Radijs Conorum, cum sint trientes eiusdem basis GC) dempta ergo illa proportione æqualitatis, manet proportio Coni ad Conum, & Cylindri ad Cylindrum, ut altitudo BC ad altitudinem FC . Quod erat demonstrandum.

P R O P O S I T I O VI.

Quæ est Euclidis Libri XII. Decima Quinta.

Æqualium Conorum, & Cylindrorum recipiuntur bases, & altitudines. Et quorum Conorum & Cylindrorum recipiuntur bases & altitudines: illi sunt æquales.

HANC

HANC nos demonstravimus Lib: 3. Cap: 6. Propos: 8.

PROPOSITIO VII.

Quæ est Euclidis Libri XII. Decima Octava.

Sphæra sunt in triplicata ratione suarum diametrorum.

PROPOSITIONE 5. Capitis 6. Libri 3. demonstravimus Sphæram æqualem esse ei Parallelepipedo, cuius basis sit æqualis semicirculo maximo qui Sphæram descripsit, & altitudo adæquet quatuor tertias diametri eiusdem Sphærae: Sed Parallelepipeda similia [ex 33. Undecim:] in triplicata sunt ratione laterum homologorum, hoc est altitudinum, quæ hic æquales sunt quatuor tertijs diametri Sphærae: Ergo etiam Sphærae inter se sunt in triplicata ratione quatuor tertiarum diametri: Ergo [per 15. Quinti] inter se sunt in triplicata ratione diametrorum. Quod demonstrandum erat.

ALITER.

SPHÆRÆ ad Sphæram proportio componitur [ex Coroll: 3. Propos: 3. Cap: 8. Lib: 2.] ex ratione semicirculorum à quibus ipsæ describuntur, & ex ratione Radiorum rotationis: Sed illa [per Coroll: Propos: 1. Cap: 5. Libri 3.] est duplicata diametrorum; Radiorum verò rotationis [ut colligitur ex Propos: 1. Cap: 9. Libri 1.] eadem est etiam quæ diametrorum. Ergo Sphærae sunt in triplicata ratione suarum diametrorum. Quod erat demonstrandum.

CAPUT IV.

QVO AGITUR DE

Stereometria Archimedeæ, eiusque Supplemento à Ioanne Keplero edito.



OGITABAMUS Keplero præponere non solum Archimedem & Euclidem sed & Pappum Alexandrinum, verum ob causam in Prefatione huius Libri Quarti allatam id omisimus. Ergo ab Archimede tanquam Principe ad Euclidem ætate licet priorem, & ab hoc ad Keplerum, magnis profecto itineribus, longoq; intervallo disiuncto, saltum rectius, quam gradum facimus. Verum quemadmodum & ex Archimede, & ex Euclide pauca quedam tantum, & ad propositum nostrum, Lectorumq; utilitatem

Tt

utilitatem

utilitatem, Centriq; gravitatis gloriam facientia, profecuti sumus: sic etiam Kepleriana omnia in Stereometricis comprehensa, nequaquam attingemus; sed ea tantum in quibus ille vel excellit, vel notabiliter deficit, (utraq; enim in ijs reperiuntur) vel nobiscum convenit, hoc Capite perstringemus. Quid alij sentiant de ipsius Geometricis hisce lucubrationibus, nihil quod publici iuris factum sit legi, præter quædam Alexandri Andersonij Scoti, nobilissimi & acutissimi Geometrae directè contra Ipsum Keplerum scripta. Ex illis autem quos hinc inde audivi de eiusdem Kepleri Stereometricis differere, multi multa dixerunt; summa erat eum puritati Geometriæ & accuratiioni minime consuluisse, Analogijs & Coniecturis multum tribuisse, non scientifice semper conclusisse, & insuper sua omnia obscure proposuisse. Verum ego hominem mihi bene notum in omnibus excusatum habeo. Fuit enim ingenij optimi, nec uni tantum rei dediti, sed universim plura complectentis, ut & pluribus sese tradidit, quemadmodum ex varijs Ipsius Scriptis & Libris in utraq; lingua, & vernacula & latina editis apparet; neque diu & constanter, plures ob causas, tanquam ovis gallina, uni Invento incubare Ipsi licuit: inde fieri potuit id, quod in Proverbio dicitur, Pluribus intentus, minor ad singula sensus, & sic quædam, præsertim autem Archimedearum demonstrationum vim, minus accurato iudicio perpendisse videri possit. Suas autem demonstrationes nequaquam tanquam perfectissimas haberi vult, ait enim in Præambulo Stereometriæ: absolutæ enim & omnibus numeris perfectæ demonstrationes petendæ sunt ex ipsis Libellis Archimedeis; si quis à spinosa lectione eorum non abhorruerit. Sed rem ipsam aggrediamur.

Edidit Keplerus Anno salutis M. DC XV. Librum, quem sic inscripsit: Nova Stereometria Doliorum variorum in primis Austriaci, figuræ omnium aptissimæ &c. eumq; in tres partes subdivisum voluit, & Primæ parti quidem, quam Stereometriam Archimedeam vocat, adnectit Stereometriæ Archimedææ Supplementum. Secundam nominat Stereometriam Dolij Austriaci in specie: & in tertia Vsum totius Libri circa Dolia proponit. In hoc Libro varia habet quæ per nostram rotationem, qua & ipse utitur, sed sine Centro gravitatis usu, (de quo Ipse nihil, nisi quando, quasi per accidens, centrum figuræ idem est cum centro gravitatis) rectius & explicantur & demonstrantur. Quare cum & in hoc, & maxime pro Archimedæ demonstrationibus, cui adiumentum & supplementum attulisse videri vult Keplerus, adiumento & supplemento Ipse indigeat, id ei hoc Capite tanquam in loco proprio negare nolimus. Aliquas ergo Propositiones ut diximus, ad nostrum propositum facientes nunc subiungemus, & primo quidem de Theorematis Primæ partis agemus.

PROPO-


PROPOSITIO I.

Qua Theorema Primum obiter examinatur.

Nimirum:

Rationem circumferentia ad diametrum esse proxime eam, quæ est Numeri 22, ad 7.

PROPORTIONEM circumferentiæ circuli ad diametrum nos ex
1. Archimede, Ludolpho, Snellio &c. supposuimus, ut Libro Tertio initio Capitis primi monuimus. Porro in huius Theorematis demonstratione vix est quod notem, nisi quod contra Geometriæ decreta sit, id quod dicit §. 2. *E contra &c.* in fine, ubi loquens de arcu circulari *EB*, dicens. *Licet autem argumentari de EB (linea circulari) ut de recta, quia vis demonstrationis secat circulum in arcus minimos, qui equiparantur rectis.* Nam per ullam ullius demonstrationis Geometricæ vim, arcus quamvis minimus æquiparari potest lineæ rectæ.



2. Deinde §. sequenti ait: *Quamquam inter ea quæ communi sensu sunt nota, recipi potest, arcum DEB intra triangulum rectilineum DBF, minorem esse lineis DF, FB, arcum tangentibus, quippe qui cum flectatur versus angulum DFB, nullam tamen particulam habet extra lineas DF, FB: comprehendens autem, sensu communi maius est comprehenso. Secus haberet, si arcus DEB esset linea flexuosa & inordinata.* Nam si hæc communi sensu essent nota, non opus fuisset Archimedi demonstrare Propositionem primam de Sphæra & Cyl: Assumpsit quidem tale aliquod principium, Hypothesi 3 eiusdem Libri, sed conditionibus certis astrictum, de quo Rivaltus in Scholio plura. Sensus certe ille communis nos egregie decepit, ut videre est Propos: 2, Cap: 3. Lib: 2, per totam, in parte lineæ spiralis, quæ quidem flexuosa est, sed ordinata. Non ergo licebit in Geometricis sensui communi nimium fidere.

3. Caterum in *Episagmate* huius Propositionis ait Keplerus, se in *Commentarijs de motu Martis* demonstrasse, *longitudinem Ellipticæ lineæ sese habere ad medium arithmeticum inter duas eius diametros, quæ axis rectus & transversus dicuntur, similiter ut 22 ad 7 ferè, hoc est, ut circumferentia circuli ad suam diametrum.* Sed quomodo hæc demonstratio subsistat, diximus Libro secundo Cap: 1, Propos: 5. Num: 4. & Cap: 5. Propos: 1, Num: 2.

PROPOSITIO II.

Quæ est Kepleri Partis primæ Theorema secundum.

Sic se habens:

Circuli area ad aream quadratam diametri comparata, rationem habet eam quam 11 ad 14 ferè.

T c 2

HOC

strandī ratio, quamvis ut verum fatear non omnino spernenda, licet non sit neque Archimedea neque Euclidea. Hinc enim ansam arripuit & occasionem Bonaventura Cavalerius suam *Methodum Indivisibilium qua Geometriam promotam esse* iudicat, producendi, ut ipsemet innuit in Præfatione illius Libri, de quo nos fusius in Præfatione ad Librum secundum Centrobarycorum nostrorum. Verum quid Geometriæ puriori addicti sentiant ex uno eorum & inter primarias locum obtinente Alexandro Andersonio Scoto, audiemus infra Propositione 8, quando ad examen Theorematis XX Kepleri, pervenerimus. Non enim assecutus est mentem Archimedis, qui non assumit sectorem esse triangulo rectilineo æqualem, sed deducendo ad absurdum probat circulum esse æqualem triangulo, & consequenter Sectorem, partiali triangulo; id quod non assumendum, sed probandum fuit.

Corollaria & Epifagmata hoc loco missa facimus.

PROPOSITIO III.

Quæ est Kepleri, & Prima partis Theorema Tertium.

Videlicet:

Cylindri verò ad Parallelepipedum columnare rectangulum æquealtum, quod Cylindri corpus stringit quadratis suis basibus & parallelis lateribus, ratio est eadem, quæ circuli ad quadratum circumscriptum, hoc est eadem quæ 11. ad 14.

V T enim Cylindrica basis circularis ad quadratum circumscriptum, ita corpus Cylindri, ad corpus parallelepipedi rectanguli, seu columnæ.

Arch: de Sphæra & Cylindro.

Cylinder enim & columna æque alta sunt hic veluti quedam plana corporata: accidunt igitur illis eadem quæ planis.

2. Citat quidem Archimedem Keplerus, sed etsi utrumque Librum de Sphæra & Cylindro pervolveris, nihil horum invenies. Nos hanc Propositionem demonstravimus Lib: 3. Cap 6. Propos: 6. In Corollarijs 1 & 2. Quod vero subiungit Cylindrum & columnam esse veluti *quedam plana corporata*, quamvis autem nimis breviter dictum sit hoc pro viris Archimedeis & Euclideis; hinc tamen Cavalerius post plures speculationes, & cum paulò profundius rem contemplatus esset, in hanc tandem devenit sententiam, nempe ad rem suam lineas, & plana, non ad invicem coincidentia, ut fecit Keplerus Propos: 2; sed equidistantia assumenda esse quemadmodum hic, ubi per plana parallela basi progreditur Keplerus.

3. Nescio tamen quid Cavalerius dicturus sit ad hoc quod habet Keplerus Theoremate 4, quod nos de Cylindro & Cono demonstravimus Capite præcedenti Propos: 2. ubi postquam demonstrasset Columnam Pyramidis æquealtæ eandemque basim habentis, triplam esse: Idem dicit esse de Cylindro & Cono, hæc subiiciens: *Demonstratio enim analogice applicari eadem potest, si perpendas circulum, qui basis est Cylindri & Coni in infinita triangula ex centro dividi, quibus totidem Prismata, totidemque partes Coni superstent, illa in axe Cylindri hæ*

in axe Coni convenientes. Respondebit fortassis illum hic non uti planis infinitis, sed partibus Corporeis, & sic se in sua permanere sententia.

PROPOSITIO IV.

Complectitur Theorema Quintum Kepleri.

Quod sic habet:

Superficies curva Coni Rectanguli inscripti Hemisphærio, est semidupla Baseos, seu circuli maximi in Sphæra, dimidia Baseos Coni rectanguli circa Hemisphærium.

IN primis autem error est aut calami aut Typographi, ubi dicitur *dimidia Baseos Coni*, debet enim esse *dimidia superficiei Coni*; hoc enim sibi proposuit demonstrare Keplerus: Sed neq; verum esse potest Superficiem Coni inscripti hemisphærio, esse dimidiam baseos Coni circumscripti. Demonstravimus enim [*in Scholio Propositionis 26. Cap. 5. Lib. 3. Num. 5.*] superficiem illam Conicam ad basem Coni circumscripti, proportionem habere eam, quam radius circuli maximi Sphærae habet, ad radium basis Coni circumscripti, qui radij nequaquam sunt in proportione dupla.

2. Demonstravimus etiam [*Propos: 4. Cap: 1. Libri huius*] per nostra principia, superficiem Conicam inscriptam ad circulum maximum Sphærae esse, ut latus Coni, ad radium circuli; sive ut diameter quadrati, ad costam; quam proportionem Keplerus *semiduplam* vocat. Sed etiam [*in eodem quod diximus, Scholio Num. 1. & 2.*] demonstravimus superficiem Conicam hemisphærio circumscriptam, duplam esse superficiei Conicæ inscriptæ. Item [*Num. 3.*] eandem superficiem Conicam circumscriptam, ad superficiem hemisphærij esse, ut duplum latus Coni inscripti, ad latus Coni circumscripti. Caterum demonstrationes Kepleri non attingimus, neque cum nostris comparamus; sed hoc Lectoris iudicio relinquimus.

3. Quod verò asserit Keplerus in demonstratione huius Theorematis. *Eodem verò modo, eademq; demonstrationis vi* (qua Theorema 2 demonstrasse se affirmat) *rectangulum sub latere Coni hemisphærio inscripti, & circumferentia circuli maximi, duplum esse Conicæ curvæ superficiei*; id quidem verum est; sed quomodo habeatur *ex vi demonstrationis* qua Theorema 2. demonstratur, hoc est quod desideratur. Nos demonstravimus [*Libro 2. Cap. 9. Propos. 2. Num. 2. & Propos. 3. Cap. 1. Lib. 3.*] superficiem curvam Coni æqualem esse rectangulo sub latere Coni, & semicircumferentia basis: quare recte sequitur, rectangulum sub eodem latere Coni & tota circumferentia basis (quæ in hac Propos: est circuli maximi) duplum esse eidem curvæ Conicæ superficiei.

PROPOSITIO V.

Qua refertur Theorema VI Kepleri.

Quod sic se habet:

Convexum Sphæricum est quadruplum, area circuli maximi, qui Sphæram per centrum secat.

DEMON-

DEMONSTRATIONES Archimedis & Pappi sunt ingeniosissime, ait Keplerus, nec admodum faciles captu: veritas verò propositionis, & prima demonstrationis elementa elucent ex præmissis.

Est enim superficies convexa Coni maioris (Hemisphærio circumscripti) maior superficie Hemisphærij, minoris (Hemisphærio inscripti) minor, illa enim tegit Hemisphærium, hæc sub Hemisphærio tota latet. Verisimile est igitur Hemisphærij superficiem esse medium proportionale inter utriusque Coni superficies. Sed minor Conica est semidupla area planæ basis, maior sesquidupla eiusdem; & medium semidupla & sesquidupla, est dupla proportio. Ita verisimile sit, Hemisphærij superficiem esse duplam, & Sphærae totius superficiem esse quadruplam areae circuli maximi. Demonstrat verò id Archimedes necessario ex consimilibus principijs.

2. Et hæc est Kepleri Admiranda huius Archimedæ Propositionis demonstratio. Innixa videlicet Analogiæ & verisimilitudini. Sed ut initio dixi excusandus est Keplerus, qui de Doliorem mensura utcunq̃ Geometrica sollicitus fuit, non autem ut accuratum hoc Libro ageret Geometram, quamvis eum Stereometriam Archimedeam inscripserit. Sed dum dicit prima demonstrationis elementa elucent ex præmissis, distinctione opus est: ex præmissis ab Archimede, & concedo: ex præmissis à Keplero, & nego.

3. Nos Propositionem hanc data opera, ob ipsius excellentiam, non uno tantum modo, & ex intrinsicis quidem principijs, ab efformatione nimirum superficiæ Sphæricæ, sed tribus, [duobus Propositione 7. & tertio in Scholio Propof. 10. Cap. 1. huius Libri] ostensive demonstravimus. Et dum hæc ipsa scripsissem in mentem venit, ut viderem qua ratione illam Cavalerius demonstrasset, & mox relictis omnibus, omnes & singulas pagellas Septem Librorum Cavalerij cursim inspexi; sed nihil reperi, neque in methodo indivisibilium per 6 Libros, & neque in septimo sine illa. Quamvis autem Libros illos accuratius perpendere nec animus, nec tempus, nec vires, suppetant: Ipsum tamen hanc demonstrationem omisisse miratus sum; & plurimis suis ac infinitis indivisibilibus, unicum indivisibile hoc est Centrum gravitatis, tamdiu præfero, donec melioribus instructus sententiam mutem.

4. Theoremate VII recenset Keplerus id quod nos demonstravimus [Propof. 10. Cap. 1. huius Libri] de æqualitate superficie convexæ Portionis Sphæricæ & planæ circuli, & postquam suo modo rem ostendit, subdit: Demonstrationem vide apud Archimedes. Primam verò fidem tibi faciet analogia. Nam cum sic sit comparatum cum tota superficie (Sphærae) & cum dimidia: probabile est, eandem rationem obtinere etiam in segmentis cæteris. Et ut dicam quod res est, nullo modo displicet illa analogia, sed est pulchra & Keplero digna: Analogias tamen istas iudico magis servire Inventioni rerum, quam Demonstrationi, quod ipsum agnoscit Keplerus, & ideo addit: Demonstrationem vide apud Archimedes.

5. Theoremata porrò VIII, IX & X, demonstravimus nos Propof: 22. & in Corollario Propositionis 19. & Propof: 23. Capitis 5. Libri tertij.

PROPOSITIO VI.

Quæ est Kepleri, Theoremate XI proposita.

His

His verbis:

Corpus Cylindri est ad Corpus Sphæra, quam stringit, in proportione sesquialtera.

HANC nos hoc Libro demonstravimus [*Prop. 9. Cap. 1.*] Keplerus verò eã suo demonstrat modo sic incipiens: *Corpus enim Sphæra, ad Analogiã eorum quæ dicta sunt Theoremate secundo, potestate in se continet infinitos veluti conos, verticibus in centro Sphæra coeuntes, basibus, quarum vicem sustinent puncta, in superficie stantibus.* Deinde superficiem Sphæricam explicat in planum, hoc est, circulum assumit Sphæricæ superficiæ æqualem, licet non possit quemadmodum de lineâ curvâ, facile intelligi quâ ratione superficies Sphærica extendatur in planam: ad imitationem deinde Theoreomatis secundi, quæ ibi dixit de infinitis triangulis, hic de infinitis affirmat Conis, & quemadmodum Theoremate 2, efformavit Triangulum æqualem superficiæ circuli; sic hoc loco format Conum æqualem Sphærae habentem altitudinem radio Sphærae æqualem, circumscriptumque & Cono & Sphærae Cylindrum, & tandem concludit Cylindrum ad corpus Sphærae esse ut 3 ad 2. ita ut quemadmodum disputante S. Paulo coram Rege Agrippa, hic exclamaverit & dixerit Paulo *in modico me suades Christianum fieri*, sic & mihi disputans Keplerus in modico persuadet ut Keplerianus fiam, nisi me absterret infinitorum istorum tractatio, & purioris Geometriæ Principes, Auctores, & Sectatores?

2. Subiungit postea: Potest idem etiam per Theor: IX probari, si fingamus Cylindrum secari in infinita prismata in axe Cylindri coeuntia &c. forte ideo quod viderit Conos non esse locum repletivos. Sed hic modus sine propria figura, quam Keplerus omisit, difficulter imaginationi proponitur. Unde adhuc modum nostrum, ex unico Centro gravitatis deductum, huic Kepleriano anteponimus?

3. Theorema XII demonstravimus nos in Corollarijs Propositionis 6. Cap: 6. Lib: 3. sicut etiam Theorema XIII demonstratum à nobis est eodem in loco Propositione 15. Theorema XIV est Propositio 2 Lib: 2. Archimedis de Sphæra & Cylindro, quam nos retulimus eodem Capite & Lib: Propositione 18. & pro demonstratione, quod & Keplerus facit, Lectorem ad Archimedes misimus. Theoremata XV, XVI & XVII intacta præterimus, & ad Supplementum ad Archimedes transimus?

PROPOSITIO VII.

De his quæ Keplerus initio Supplementi ad Archimedes, atq; Theoremate XVIII & XIX proponit.

PRIMO quidem *De Sectionibus Coni* quas solidorum generatrices appellat succincte & docte differit. Deinde de modis Geneseos, & *De Figurarum genitarum numero & differentijs* tractat, digna profecto quæ à quolibet rerum Geometricarum studioso legantur, & bene considerentur: Ego ne phantasiâ & memoriâ debilissimam tot nominib; & differentijs turbarem,

obiter

obiter ea tantum perlegi, & dum Librum secundum scriberem, ea quæ ad rem nostram faciebant Capite 8, Propositione 1, adnotavi, quo Lectorem ablego.

2. Sequitur deinde Theorema XVIII. quod sic habet:

Omnis Annulus sectionis circularis, vel ellipticae, est æqualis Cylindro, cuius altitudo æquat longitudinem circumferentiæ, quam centrum figuræ circumductæ descripsit, basis verò eadem est cum sectione Annuli.

Intelligo sectionem, inquit, quæ fit, plano traducto per centrum spatij annularis, ad superficiem annularem recto. Huius Theorematis demonstratio patet partim ex Theoremate XVI; & iisdem elementis institui potest quibus Archimedes Stercometrie principia tradidit. Cito quidem & facile pronunciat, Demonstrationem ex Archimedæis principiis institui posse: sed qua ratione tam cito & facile id fiat non apparet. Consideratio profecto illorum orbiculorum de quibus Keplerus non sapiunt principia Archimedæa. Recte tamen dicit orbiculorum partes cis & ultra circumferentiam, quam nos *Viam rotationis* vocamus æquales, & æqualiter fitas esse debere: Hoc enim requirit Centrum gravitatis, quod illi in mentem non venit. Idem repetit in Corollario de alijs figuris non orbicularibus. Sed hoc nos de Annulis sive Strictis sive Laxis demonstravimus [*Propos: 20. Cap: 6. Libri 3.*] Nihil profecto Keplero deerat ad nostrum modum ac methodum, quam determinatio Viæ rotationis.

3. Quare tam in Theoremate XIX de Annulo Stricto, quam in Corollariis idem inculcat, sed ubi debuisset recurrere ad centrum gravitatis, ipse suos orbiculos in auxilium vocat. Et sic fit dum ille circumagat quadrilaterum, quod Cylindræum describit, abundet autem ipsum quadrangulum ex adverso axis rotationis segmento circulari, quod, ut ipse vocat, *Limbus* describit, de eo sic clare pronunciat. *Limbus verò exterior Cylindræum exterius ambiens, ut circulus ligneus dolium, plane nihil attinet ad hoc Theorema, sed alijs principiis est indagandus.* Sed maxime ad hoc Theorema, si universim loqui velimus, pertinet, dummodo circumferentia rotationis transeat per centrum gravitatis totius quadrilateri mixti.

4. Sed non est omittendum secundum huius Theorematis Corollarium, quod sic habet:

Globus est ad Annulum Strictum, eodem circulo creatum, ut 7 ad 33.

Hoc est, ut sine ferè, quod hic non additur, loquamur, ut diameter ad sesquicircumferentiam. Est præterea corrigendus in hoc Corollario error vel calami, vel Typographi experimentis *ad circulum strictum*, pro *ad annulum strictum*. Ipsam autem proportionem hoc Corollario pronunciatam nos per nostra principia facile demonstramus hoc modo: Soliditas enim Sphæræ [*ex Propositione 1. Cap: 4. Libri 3.*] componitur ex ductu areæ semicirculi in quatuor tertias diametri. Annulus Strictus verò [*per Propos: 5.*] ex ductu areæ circuli in circumferentiam, vel quod idem est, ex ductu areæ semicirculi in duplam circumferentiam. Ergo hæc duo corpora accepta ut columnaria, quorum alterum æquale sit Globo, alterum æquale Annulo stricto, posita base eodem semicirculo, sunt inter se ut altitudines, hoc est, ut quatuor tertie diametri, ad duplam circumferentiam, hoc est (ab utroque termino dempta quarta sui parte) ut diameter ad sesquicircumferentiam. Quod erat demonstrandum.

Quæ est Kepleri, Theoremate XX pronunciata.

Hac ratione:

Zona Mali componitur, ex Zona globi, & segmento recto cylindri, cuius segmenti basis est segmentum, quod deficit in figura, quæ gignit Malum, altitudo verò, æqualis circulo, quem centrum segmenti maioris describit.

DEMONSTRATIO. Explicetur corpus Mali iisdem legibus in Cylindri- cum segmentum quibus Archimedes Theoremate secundo explicavit circuli aream in triangulum rectangulum &c. Hæc Keplerus. Sed antequam nostram explicemus hac de re sententiam, audiamus prius quid hac de re sentiat ingeniosissimus Geometra Alexander Andersonius; qui in scripto quodam Parisijs Año 1616. impresso cui nomen indidit *Vindiciarum Archimedis &c.* cū pro merito perstrinxisset Cyclometriam Philippi Lansbergij, iure suo reprehendit Keplerum Cæsareum Mathematicum, qui affingat Archimedi quæ nec ille, neque ullus alius utcunque oculatus Geometra asserere unquam ausus fuerit. Itaque antequam fundamentum Quadraturæ Lansbergianæ evertat Andersonius sic loquitur.

2. Sed hanc telam antequam exordiar, licet pro Archimede de Mathematicis quidem optime merito, ad Mathematicos paulò fusius præfari, & in Geometria quoque à Mathematico Cæsareo, & inter Germanos Mathematicos primo, M. Joanne Keplero, male acceptum conqueri: qui in Pithometricis ad solida quedam ex planorum $\omega\epsilon\iota\phi\epsilon\gamma\epsilon\iota\alpha$ genita, construendis tandem & metiendis Geometricè dolijs suis vinarijs à se excogitata, temere eiusdem se criminis reum constituit. Et non hoc est Keplere Venerandi senis Augustos manes lādere, sub Archimedis & nomine & autoritate Theor: 20 tui supplementi Stereometria Archimedea $\kappa\alpha\tau\alpha\kappa\epsilon\chi\epsilon\theta\acute{\eta}\delta\epsilon\varsigma\ \omega\epsilon\theta\epsilon\varsigma\ \tau\acute{\eta}\ \lambda\omicron\pi\omicron\delta\epsilon\iota\kappa\tau\iota\kappa\eta\ \omega\epsilon\gamma\gamma\mu\alpha\tau\iota\ \mu\eta\delta\acute{\epsilon}\ \pi\omega\delta\epsilon\delta\epsilon\iota\gamma\mu\acute{\epsilon}\nu\omega$ (ut loquitur ad hanc rem apposite Eutochius.) quasi verò Archimedes postularit unquam, circulum in triangulum explicari, quod tu Juris tui arrogas ut in sectionem Cylindricam tua explices mala: quæ mens capiat huiusmodi Metamorphoses? postulavit quidem Archimedes lineam rectam peripheriæ circuli æqualem, quod in rerum natura dari neminem ambigere ait Eutochius, ut tandem sub hac & semidiametro, lateribus circa rectum angulum constitutum triangulum ipsi circulo æquale demonstraret. Itaque tibi eodem iure postulare liceat, dari segmentum Cylindricum: cuius quidem basis æqualis sit segmento circulari, ex cuius circumductu genitum est malum, altitudo verò maxima æqualis peripheriæ in superficie mali maxima, ut illud tandem ex concesso postulato, methodo Archimedea, malo tuo ostendas æquale, sed simile nihil cogitasse unquam Archimedem, indicio est operosa illa qua utitur $\pi\omicron\lambda\upsilon\gamma\acute{\omicron}\nu\omicron\upsilon\upsilon$ circulo, & $\pi\omicron\lambda\upsilon\epsilon\delta\epsilon\tau\omega\upsilon$ Sphæræ inscriptio, circumscriptioque, tum methodus sibi in eiusmodi figuris $\omega\epsilon\iota\phi\epsilon\gamma\epsilon\sigma\chi\epsilon\iota\phi\omicron\mu\acute{\epsilon}\nu\omicron\iota\varsigma$, eis αδύνατον ἀγούσα, propositione 32. Lib: 1. de Sphæra & Cyl: usitata, in quam descendere cogit curvi ad rectam $\epsilon\tau\epsilon\gamma\omicron\upsilon\epsilon\upsilon\epsilon\iota\alpha$, ut tandem concludat, quod tu ex hypothesis conceditibi postulas: siquidem expansa (pro tuo captu) Sphæra in segmentum Cylindricum, cuius basis æquetur semicirculo ex cuius circum-

Et u ge-


Et genita est Sphæra, altitudo verò maxima, peripheria in spherica superficie maxima, expanditur similiter & superficies spherica in Cylindricam superficiem, quam ante ostenderat in spherica circuli maximi quadruplam, quam segmentum huiusmodi Cylindricum in pyramides solvetur, quarum vertex communis sit ipsum centrum dicti semicirculi, altitudo semidiametri eiusdem, basis verò ipsius segmenti superficies Cylindrica, statim sequetur id æquale cono, cuius quidem basis æqualis est ipsi superfici Cylindricæ, seu quadruplo circuli in Sphæra maximi, altitudo verò æqualis semidiametro eiusdem circuli maximi: at idem via longe operosiore, profecutus est Archimedes principijs scilicet usus ὑποεπιπέδου (qualibus ad demonstrationem opus esse, demonstravit Philosophus) quam est tua hæc figurarum inter se metamorphosis: quare aliena à mente Archimedis hæc tibi usurpata transformatio.

3. Quamvis autem iure reprehendatur Keplerus ab Andersonio ratione Archimedis, qui suas demonstrationes nequaquam per hunc modum ac media instituit, sed per leges Geometricas synceras, sive directe sive indirecte, ut aliquid demus Keplero, processit; non propterea omnino contemnenda est Kepleri hæc nova inventio, aut vilipendenda hæc figurarum transmutatio. Nam ut maneamus in hac ipsa huius Theorematis propositione & demonstratione, non privandus est sua laude Keplerus, per hanc enim suam metamorphosim, non solum asserit segmentum aliquod Cylindricum æquale esse posse Malo sive figuræ Pomo simili; sed etiam assignat, quale illud sit segmentum, & licet illud non demonstret ea demonstratione quæ recipi statim ab omnibus possit; plures enim intercurrunt difficultates, quas movere nolumus; inde tamen eruit praxim, qua mensurat id corpus Mali; ea mensura quæ & veritatem minime videtur averfari, & numeris utcunq̄e respondere.

4. Sed ut dicam paucis quod sentiam, ut & istum Keplerianam, & Cavalieri methodum (de Cavalieri modo hic quicquam decisum volo, rem in aliud tempus, si Deus vitam ac sanitatem dederit, reservans) iudico ad inventiones Geometricarum Theorematum & Problematum plurimum valere, ita ad demonstrationes eam adhibendam esse, si alia suppetant Geometris iam probata media, nequaquam suadeo. Quotusquisque enim legens hoc Kepleri Theorema XX, maxime ordinarijs Archimedeis & Euclideis rationibus assuetus, transformationis huius apprehendet methodum, maxime dum obscurius res ipsa proponitur. Mihi certe ut penitus penetrarem, frangere, quod aiunt, caput aut cerebrum nolui. Unde & reliqua Theoremata XXI scilicet & XXII cum Corollarijs præterimus. Loco enim istorum omnium substituo nostrum de Centro gravitatis Inventum, quod omnia per media Geometriæ synceriori minime adversantia ostendet, modo nactum sit perfectum Demonstratorem, qualem me ut Inventorem pronuncio, ita omnium quæ inde promanant Deductorem & Ostensorem sufficientem non agnosco.

5. Quod ut non tantum nudis verbis id asseramus; & licet tam Mali quam Citrij soliditatem per unicum centrum gravitatis [Libro 3. Capituli 4. Propositione 4] invenire docuerimus, & ne per hoc Malum, malum aliquod nobis accersamus; malumus Malum alio modo quam loco citato præcepimus mensurare, per duos nimirum rotationis Radios. Esto igitur segmentum
circulare

ABUSIVE dicitur hic Sphæroides longum inscriptum lato, cum proprie dicatur figura inscripta; *contenta*, & illa cui inscribitur, *continens*: quod hic non accidit, nisi velimus dicere idem corpus posse respectu alterius vocari, & continens & contentum. Verum hanc Propositionem ex nostris principijs sic demonstrabimus. Est Sphæroides longum $ABCD$, descriptum à semiellipsi BAD , circa axem BD : sit etiam Sphæroides latum $ABCD$, descriptum à semiellipsi ABC , circa axem AC . Dico longum ad latum esse ut AC ad BD . Semiellipses enim Sphæroidea describentes sunt inter se æquales: Ergo [per Coroll: 1. Propos: 3. Cap: 8. Libri 2.] Sphæroidea inter se sunt ut Radij rotationis, hoc est longum ad latum ut KE ad EL , sed KE & EL , cum sint proportionales radijs semicirculorum IAH , FBG , sunt inter se ut AE , EB , hoc est, ut diametri AC , BD ; Quare etiam KE ad EL est, ut AC ad BD , hoc est, ut Sphæroides longum, ad Sphæroides Latum. Quod erat demonstrandum.



PROPOSITIO X.

Complectitur Theorema Kepleri XXV.

Quod sic se habet:

Segmentum Globi ad dimidium Citrium, eodem segmento circuli descriptum, videtur eam habere proportionem, quam habet semidiameter basis segmenti, ad axem seu altitudinem segmenti.

DEMONSTRATIONEM legitimam querant alij: Ego quod non possum apodictice, comprobabo dictice; quatuor usus documentis. Primum est ab Analogia. Quod enim in dimidio globo, velut in maximo segmento, quod est principium segmentorum, verum est, ut & in dimidio Sphæroide; quod item in minimo segmento, & velut in ultimo omnium segmentorum termino, id videtur etiam in segmentis intermedijs locum habere. At in dimidio globo res ita habet, quemadmodum enim latera circa rectum angulum quadrantis, habent inter se proportionem æqualitatis, sic etiam quod creatur, quadrante circa perpendicularum voluto, æquale est ei, quod creatur, eodem quadrante circa basim voluto. In minimis verò similiter locum habet ista proportio: quia quo minus globi segmentum, & Citrium in eo, hoc minus ab hisce differunt Coni, figuris ipsis inscripti: Conorum verò istorum, ut habet Theor: XXIII. est dicta proportio, quare & circumscriptorum solidorum. Et si fateor, ab eo quod est absolute minimum, ad id quod minimo proximum, non ubique tutam esse collectionem.


Secundò, Proportio dicta locum habet in Sphæroide dimidio, etiamsi ibi non regnet æqualitatis proportio inter diametros, ut in globo, & quidem in infinitis Sphæroidibus, & infinitis diametrorum per illa proportionibus; ut est in Theor: antecedenti. At sicut Sphæroides longum inscribitur Sphæroidi lato, sic etiam Citrium totum, segmento duplicato Hemisphærij inscriptum est, & generatio utrinque similis intelligitur;

Ergo cum dicta proportio obtineat inter Spheroides longum & latum, obtinebit etiam, ut videtur inter Citrium totum & segmentum duplicatum semiglobi.

Tertium argumentum omittimus ob defectum figuræ.

Quarto his accedit calculus & testimonium numerorum: qui licet operosissime tractentur & subtilissime, per divisionem diametri in particulas 100,000, tandem tamen inepti fiunt ad refutandam hanc proportionem.

2. Ait ergo Keplerus, *Demonstrationem legitimam querant alij.* Sed quis querere vult id quod inveniri non potest? Cum ergo Keplerus appellet ad numeros, sane illos tanquam lapidem Lydium in auxilium advocabimus, ut nos instruant circa demonstrationem quærendam, vel non quærendam. Prius tamen ipsa Propositio supplenda fuit, nam ubi dicitur *Segmentum Globi ad Citrium &c.* dicendum est *Segmentum Globi ad dimidium Citrium &c.* ut manifeste colligitur ex secundo argumento Kepleri.



Sit in adiecta figura segmentum Globi *BFT* descriptum à semisegmento circuli *BEFM*, circa axem *FM*, Radio rotationis *SI*; Sit & Citrium *BFTD*, descriptum à segmento circuli *BFTM*, circa axem *BT*, Radio rotationis *SM*. Ait Keplerus Segmentum Globi ad Semicitrium esse ut *BM* ad *MF*. Quod an verum sit sic indagabimus. Ducantur primum ex *A* centro Sphæræ seu circuli maximi, radij *AB*, *AF*, *AT*, & ad medium punctum *E* arcus *BEF* radius *AE*, secans *BM* in *O*, & iungantur *BD*, *BF*. Deinde ut rem accuratius acquiramus vel ipso Keplero, radium

Sphæræ ponamus esse partium 10,000,000, & arcum *BFT* 60 graduum, ita ut *FEB* sit graduum 30, & arcus *EB* ac *EF*, singuli 15 graduum: Est ergo sinus rectus *BM*, arcus *BEF*, 5,000,000, & *AM* sinus complementi 8,660,254: *RF* verò sinus rectus arcus *EF*, 2,588,190, & *AR* sinus complementi 9,659,258. Arcus verò ipse *BFT* [ex *Tabula secunda*] 10,471,975, *BEF* 5,235,987, & *EF* 2,617,993. Inveniatur iam centrum gravitatis segmenti circularis *BEF*; fiat nimirum ut arcus *EF* ad rectam *FR*, ita radius *AB* ad numerum *A*, 9,886,160 determinantem centrum gravitatis arcus *BEF* [per *Propos: 2. Cap: 5. Lib: 1.*] quæ imminuta tertia sui parte, relinquit [ex *Num: 4. Propos: 1. Cap: 9. Lib: 1.*] determinantem centrum gravitatis sectoris circuli *ABEF* numerum *B*, 6,590,774. Determinans verò centrum gravitatis trianguli *ABF* [per *Propos: 3. Cap: 8. Libri 1.*] est duarum tertiarum ex *AR*, videlicet *C*, 6,439,505, quæ sublata ex determinante centrum gravitatis sectoris, reliquam facit *D*, 151,269 centra Sectoris & trianguli connectentem. Fiat ergo [per *Propos: 7. Cap: 7. Libri 2.*] ut semissis numeri 235,987 differentia inter arcum *BEF*, & *BM* sinum ipsius, ad semissem eiusdem sinus, ita recta centra connectens, ad 3,205,020; quæ addita ad determinantem centrum sectoris facit *AP*, 9,795,794 determinantem centrum gravitatis *P*, segmenti circularis *BEF*.

3. Ex hoc igitur centro *P*, ducatur recta perpendicularis ad *BM*, secans

ipsam

ipsam in puncto H , centro communi segmentorum BEF , & BKD . Sit etiam MG tertia pars ipsius MB , nimirum 1, 666, 666, ac proinde punctum G centrum gravitatis trianguli DBF . Est ergo recta HG , centrum gravitatis commune H duorum segmentorum BEF , BKD , & centrum gravitatis G trianguli DBF , connectens, dividenda in proportionem trianguli ad duo segmenta, ut punctum divisionis nobis ostendat centrum gravitatis totius figuræ $DKBEF$, quod ut efficiamus oportet prius habere cognitam hanc ipsam connectentem HG quod sic consequemur; primum scire oportet quanta sit MO , nam si fiat in triangulis rectangulis & similibus ARF , AMO ut AR ad RF , ita AM ad aliud, habebimus MO , 2, 320, 507. Deinde fiat, ex doctrina triangulorum, ut sinus totus ad secantem anguli OAM 15 graduum, quæ est 10, 352, 761, ita AM , ad 8, 965, 754 quæ est AO , & subtracta ex AP , reliquam facit OP , 830, 040. Rursus in triangulis similibus AMO & PHO , fiat ut AO ad MO , ita OP ad HO , 214, 830, ad quam si addiderimus OG , (quæ habetur si ex MO subtrahatur MG) habebimus centra connectentem quæsitam HG , 868, 671.

4. Fiat ergo ex doctrina Libri primi, ut area totius figuræ planæ $DKBEF$, ex duobus semisegmentis circularibus compositæ, quæ est 9, 058, 600, 000, 000, (per Propos: 5. Cap: 6. Libri 2.) ad aream trianguli rectilinei DBF , 6, 698, 730, 000, 000, ita GH ad aliam, 642, 372, quæ est HN signans nobis inter puncta O & G in recta BM , punctum N centrum gravitatis duplicis semisegmenti seu figuræ $DKBEF$, quæ subtracta ex HG relinquit NG , quæ unâ cum GM , componit totam MN , 1, 892, 965, quæ æquatur quantitati Radij rotationis, quo descriptum est segmentum Globi, ut mox videbimus.

5. Longe faciliori ratione habebimus Radium rotationis, quo Citrium describitur. Inventis enim determinantibus centra Sectoris $ABFT$ & trianguli ABT , numeris scilicet E , 6, 366, 198 & F , 5, 773, 503, & altero ab altero subtracto remanet centra connectens G , 592, 695. Fiat [per Propos: 7. Cap: 7. Lib: 2.] ut H , 905, 860, semidifferentia inter arcum BFT & AM sinum ipsius, ad semissem ipsius AM , hoc est, ad 1, 4, 330, 127; ita G ad K , 2, 833, 158, quæ addita ad E facit AS , 9, 199, 356 determinantem centrum gravitatis segmenti BFT , à qua subtracta AM , fiet reliquus MS , 539, 102, Radium rotationis quo Citrium nascitur. Ductis iam rectis perpendicularibus, SI quidem ad MF , NI , verò ad BM , habebimus in communi sectione punctum I , centrum gravitatis semisegmenti BEF , quod rotatum circa axem MF per Radium rotationis SI , qui æqualis est ipsi MN , describit segmentum Globi: idem verò semisegmentum rotatum circa axem BM , per Radium rotationis NI , qui æqualis est ipsi MS , describit Semicitrium.

6. Cum ergo quantitas rotata sit eadem, erunt corpora descripta [per Coroll: 1. Propos: 3. Cap: 8. Lib: 2.] inter se ut Radij rotationis: hoc est Segmentum Globi ad Semicitrium ut SI , 1, 892, 965 ad NI , 539, 102, quæ proportio si Keplerus verum divinasset, deberet esse ea quæ est BM , 5, 000, 000, ad MF , 1, 339, 746. Fiat ergo ut BM ad SI sive MN , ita MF ad 507, 218. Sed deberet provenire recta NI , sive MS , 539, 102. Aberrat ergo Keplerus numero 31, 884; qui est nimis. Non ergo recte pronunciat *numeri tandem tamen inepti sunt ad refutandam hanc proportionem*. En numeros ipsos seorsim positos!

7. Sed dicet aliquis in tot calculis & numeris quibus usi sumus maximè Num: 2. 3. & 4. nos facile errare potuisse, huic respondere possemus nos ideò

numeros

AB.	10 000 000.	
BFT.	10 471 975.	Gr. 60.
BEE.	5 235 987.	30.
EE.	12 617 993	15.
BM.	5 000 000	
AM.	8 660 254	
RF.	2 588 190	
AR.	9 659 258	
A.	9 886 160	
B.	6 590 774	
C.	6 439 505	
D.	1 51 269	
AP.	9 795 794	
MG.	1 666 666	
MO.	2 320 507	
AO.	8 965 754	
OP.	830 040	
HO.	214 830	
GO.	653 841	
HG.	868 671	
HN.	642 372	
NG.	226 299	
MN. SI.	1 892 965	
<hr/>		
E.	6 366 198	
F.	5 773 503	
G.	592 695	
H.	905 860	
I.	4 330 127	
K.	2 833 158	
AS.	9 199 356	
MS. NI.	539 102	
MF.	1 339 746	
<hr/>		
L.	18 660 254	
M.	28 660 254	
N.	2 057 713	
O.	7 853 981 600 0000.	
P.	1 616 124 004 0080. 800 0000.	
Q.	5 387 080 013 3602- 666 666.	
R.	452 930 500 0000.	
S.	11 893 833	

numeros omnes deductos, (sine operationibus multiplicationis & divisionis) seorsim in conspectum dedisse, ut quilibet eos examinare & vel approbare vel rejicere possit: Verum ut huic alia adhuc ratione satisfiat, nos per Propositionem 18. Capitis 6. Libri 3. quam demonstrat Archimedes Propositione 2. Libri 2. de Sphæra & Cylindro, inveniemus Conum qui æqualis sit Segmento Globi, hac ratione: Posito ut ante Globi diametro 20,000,000, erit axis sive altitudo segmenti minoris ut supra MF , maioris vero L , 18,660,254. Fiat ergo ut altitudo segmenti maioris, ad compositam ex radio Globi & eadem altitudine, hoc est, ad M , 28,660,254 ita altitudo minoris segmenti MF , ad altitudinem Coni ipsi segmento æqualis, habentis radium basis ipsi BM æqualem, hoc est, ad N , 2,057,713: area basis Coni est O , quæ ducta in N , altitudinem Coni, producit P , soliditatem Cylindri æquealti, cuius tertia pars Q , est soliditas Coni, ac proinde etiam segmenti Globi. Deinde hanc soliditatem si [per doctrinam Capitis ultimi Libri 2.] per aream segmenti circularis $BEFM$, quæ est [per Propos: 5 Cap: 6. Libri 2.] R , dividerimus, inveniemus S , Viam rotationis, peripheriam nempe circuli, cuius semidiameter est Radius rotationis 1,892,963, quem nos per operosum illum calculum invenimus MN vel SI , 1,892,965, solo binario differentem; quod sane ipsi miramur, cum numeri ad calculum adhibiti plerique sint iustis maiores vel minores: sed veritas quæ sita, ultro se prodit. Unde & huic obiectioni satisfactum est, & Kepleri Inventum, unà cū suis quatuor argumentis corruunt; quod doleo. Nobis enim ad nostrum

intentum multum profuisset ista Kepleriana proportio, si proba fuisset, per illam enim facillime dedissemus Radios rotationis, qui, ut vidimus, per numeros operose inquirendi erant. Est quidem alius & brevior modus inveniendi femisegmenti circularis centrum gravitatis per lineas, qui tamen eadem facilitate ad numeros non reducitur. Numeri ergo in auxilium vocati, clarissime & exacte nobis annuntiant, demonstrationem quam Keplerus ab alijs postulavit, inquirendam non esse, cum nulla legitima inveniri queat. Quod erat faciendum.


S C H O L I U M.

SED interponet se fortassis aliquis dicens, non satis esse ostendere Propositionem aliquam cum veritate non convenire, sed insuper necesse esse, ut more Philosophorum, argumenta adversarij annihilentur, atque in illis si quæ sint vitia ea palam facere. Cui respondeo esse quidem Mathematicos, plerumq; etiam Philosophos, sed Mathematicis in more positum esse asserere absolute, postquam firmis demonstrationibus ostenderunt

ostenderunt Propositionem aliquam falsam, & hoc ipso corruere omnia adversa sententia argumenta; id quod & nobis licitum esse iudico. Ne morosus tamen sim hac in re interpellatori etiam satisfaciam.

Primum igitur argumentum ab analogia deductum vim suam sumit ab eo, cum proportio ab ipso pronunciata sit vera in maximo segmento, & Globi & Spheroidis, quod est hemisphaerium & hemisphaeroides, sit etiam in minimo segmento, & veluti in ultimo omnium segmentorum, videri etiam in segmentis intermedijs proportionem illam locum habere. Et si fateor, subiungit, ab eo quod est absolute minimum, ad id quod minimo proximum non ubique tutam esse collectionem. Non solum hac de causa periculosum est Doctissime Keplere à minimo argumentari, sed ut optime scis non datur minimum segmentum, sed quocunq; tanquam minimo dato dari potest adhuc minus, & hoc in infinitum. Et quocunq; minimum datum, nunquam dabit proportionem, à Te allatam, sed semper invenietur discrepantia. Neque valet analogia à Conorum proprietate ex Theoremate 23 desumpta, semper enim Coni segmentis inscripti minores sunt segmentis ipsis. Rectius fortassis procederet res cum Conoidibus, quæ Conis rotundæ soliditati aliquid superaddunt: sed neque ista favent Keplero: nos enim [Propositione 28. Cap: 6. Libri 3.] demonstravimus semiparabolam habentem eandem, cum axe sive altitudine, basim, rotatamq; circa axem describere Conoidem obtusam, quæ ad Conoidem acuminatam, natam ex rotatione eiusdem semiparabolæ circa basem, esse ut 15 ad 16. Quod si vera esset sive coniectura sive assertio Kepleri, proportio hæc deberet esse æqualitatis non autem ut 15 ad 16. Cadit ergo Primum Kepleri argumentum.

Secundum deductum est ex Theoremate 24. ubi asserit Spheroidem Latam cum Spheroides Longa sive Alta, ab eadem semiellipsi descriptam, ac proinde etiam semisses illarum, habere hanc quam segmento Sphære & Citrii tribuit proportionem, licet axium Spheroidis proportio non sit æqualitatis, ut in hemisphaerio. Sed respondetur non licere ab hemisphaerio & hemisphaeroide universim argumentari ad illorum segmenta, hoc ipsum enim in questione est, & demonstratione indiget. Segmentum Sphæricum iam examinavimus, & proportionem Keplerianam non servare comperimus. Subijciemus etiam examini segmentum Spheroidis Alta descriptum circa axem MF, à semisegmento elliptico FXVM, cuius ellipsis axes sint in proportione dupla, ita ut semiaxis maior æqualis sit ipsi AF, minor ipsi MB: erit ergo Radius rotationis SI, quo segmentum Sphære describitur à semisegmento FEBM circa eundem axem MF [per Coroll: Propositionis 29. Cap: 6. Lib: 3.] ad Radius rotationis quo segmentum Spheroidis describitur, ut axis maior ad minorem, hoc est ut 2 ad 1. quare hic Radius erit 946,482, cum ille SI ut supra vidimus sit 1,892,965: alter verò Radius rotationis quo Semicitrium describitur ab eodem semisegmento FXVM, circa axem MV est, quemadmodum Radius Citrii Sphærici, æqualis ipsi MS 539,102; Hi ergo duo Radij, si Keplerus verum attigisset, deberent habere proportionem quam habent MV 2,500,000 ad MF, 1,339,746: Sed non habent. Ergo &c.



W VV

Tertium

Tertium argumentum, ut supra monuimus, omissum est ideo, quod non videretur esse opera præcium curare incidi figuram illam magnam quam Keplerus proponit Schemate 18, ex eaq; argumentatur. Quarto argumento abunde satisfacimus per totam Propositionem.

Concludimus ergo hoc Theorema Keplerianum non subsistere, ac proinde ipsius Supplementum Stereometriæ Archimedis non supplere omnia, illiq; Transformationi figurarum, quam pauci admodum capiunt, anteponendam esse nostram Rotationem ex Centro gravitatis deductam, quæ à Geometria puriori non abhorret.

PROPOSITIO XI.

De reliquis quæ Keplerus in Supplemento Stereometriæ Archimedæ proponit.

SUPER SUNT in hoc Supplemento atque prima Parte Novæ Stereometriæ &c. adhuc Theoremata quatuor quæ examinare nolimus, & agmen claudit Problema Geometris propositum, Proportionem nimirum indagare segmentorum Citrij, Olive, Pruni aut Fusi, factorum plano axi parallelo, & ad hoc solvendum invitat nominatim Snellium; quod an vel ipse vel aliquis alius solverit nobis non constat. Hoc certo scimus Alexandrum Andersonium supra à nobis laudatum, aliqua à Keplero proposita solvisse. Ipse enim in Exercitationum Mathematicarum Decade prima, Parisijs anno 1619 edita, Exercitatione sexta hæc habet,

2. *Ad Problema Kepleri in sua Stereometria Doliarij Mathematicis huius ævi propositum.*

Edidit Magister Joannes Keplerus Mathematicus Cesareus, Stereometriam Dolij Austriaci, in qua, Propos. 23. Problema huius ævi Geometris proposuit.

Data proportione diametrorum trunci Conici, coniugationem invenire, in qua talis truncus æquet Cylindrum coniugationis maximæ.

Quod quidem Problema, ut & huius farinae alia omnia plerique Geometra (ex quorum numero erat ipsemet Keplerus) Geometricè solvere impossibile ducentes, quoties ad cuborum gradus eas evexit Analysis, tanquam re prorsus desperata, ulterius nihil tentarunt: at in hisce non substiterunt veteres Geometra, sed aliqua saltem ratione, sive per sectiones Conicas, sive per lineas alias mixtas, ad praxim & necessarios in vita usus, traducere sunt conati. quomodo autem huiusmodi æquationes legibus Geometricis fiant obnoxia, ex propositis hic problematis, discite tandem Analytices Studiosi: quæ quidem nos ex tractatu nostro Stereometrico excerpimus (quem absolutum & integrum, de Parallelepipedis, Cylindris, truncis Conicis, Corporibus regularibus, nova triangulorum Sphericorum Stereometria, cum appendice prostapherisi nova, & multo quam ante hac faciliore in sinuum Analogijs, concinnavimus.) priusquam autem Keplero satisfiat, sequens Problema operæpretium fuerit demonstrare.

3. Reliqua omittimus & hæc ideo ad longum proposui ut incitarem Mathematicos ad istum Tractatum Stereometricum Andersonij inquirendum: nobis quidem incognitum est an editus sit, nec ne, nihil enim de illo inaudivimus aut vidimus (immò has ipsas Exercitationes Mathematicas, ante duos tricesve annos

annos

annos describi curavimus): Dignus profectò ut exstaret, plurimum enim luminis adferret Geometris. Quid autem intellexerit per *novam triangulorum Sphericorum Stereometriam*, mihi perspectum non est; an nimirum sit eadem de qua nos in Præfatione ad Librum 3. ex Cavalerio mentionem fecimus, aut sit aliqua alia, me penitus latet. Qua ratione verò solverit Problema Keplerianum Anderfonius, videre est apud ipsum Auctorem.

4. Quod reliquum est nolim ut aliquis mihi vitio vertat, non solum Keplerum doctissimum virum non æquiparasse Archimedi aut Euclidi, quorum in laudibus fuimus toti: sed & insuper eius manes nos invadere hac scriptione voluisse, & quasi reprehendere: non hæc mea mens est; sed ut veritas inconcussa persistat, quam tam Ipse Keplerus, quam alij omnes huic scientiæ Mathematicæ addicti, unice amant. Alter alterum alloquitur ut vivum, quia scientiæ libris concreditæ nullus unquam moritur; alter alteri veritatem commendat, de ea admonet; quia quæ gloria est virtuosorum, doctorumque hominum atque Scriptorum, qui in suis factis, scriptis, ac Libris, tanquam monumentis perpetuis, perpetuo vivunt, (rectius quam in filiis qui sæpe à virtutibus parentum deflectunt, citoque pereunt) posterisque suis, si posteris dicendi, relinquunt quod imitentur exemplum. Habet Keplerus in reliquis suis, quæ Supplementum Stereometriæ consequuntur, quæ nos non attigimus præclara quædam, quæ scientiam Geometricam commendare possunt, quibusque nihil per hæc nostra detracta volumus, quæ etiam invenient suos suo tempore Laudatores. Ea quæ nos adduximus, cum sive directe, sive indirecte contra nostra essent principia, iure eo, quo in nos alij uti poterunt, aut perstrinximus, aut laudavimus. Hoc enim sibi invicem præstant Scientiæ huius Cultores. Nulla nimirum ut sit lis inter illos, aut diversarum sententiarum contra veritatem conspiratio; quæ in Mathematicis inter veros Mathematicos maxime si puras spectemus scientias Arithmeticam & Geometricam, nulla esse potest. Semper enim illa in puncto, & indivisibili consistit, à quo sive ad levam sive ad dextram abieris, antrorsum retrorsumvè, sive in omnem circuitum pedem contuleris, semper tamen à verò te discessisse invenies.

C A P U T V.

PERPENDUNTUR QUÆDAM
ex Nova Geometria Bonaventuræ
Cavaleries desumpta.

UM ea omnia quæ hæcenus scripta sunt Censuris, prout in Societate nostra moris est, tradita essent, in quibus inter reliqua, in Præfationibus præsertim Libri Secundi & Tertij, mentionem fecimus Bonaventuræ Cavaleries, dato illo brevi temporis intervallo quo Scripta recognoscerentur, venit in mentem denuò inspicere ipsius Geometriam Promotam;

non ea quidem accuratatione quam mihi proposueram post editos hos tres de Centro gravitatis Libros, ut in Appendice deinde meam sententiam de illa promerem; sed obiter tantum considerare ac perpendere. Quod dum facerem vidi commode me aptissimeque posse, & debere Libro Quarto quatuor constanti Capitibus, Quintum adiungere, quo per paucas aliquas Propositiones, & per modum quasi dubitationis præluderem, viamque sternerem futuro exactiori Examine. Quid autem sentiamus de Prima Propositione Libri primi Cavalerij eiusque Corollario satis clarè ediximus in Præfatione Libri Secundi Centrobarycæ nostræ, qua cum etiam reliqua quæ in Libro primo continentur missa nunc facimus, accuratiori ea ut diximus considerationi reservantes. Gradum ergo ad Secundum Librum facimus, in quo videtur Auctor præcipua iacere velle totius Novæ Doctrinæ fundamenta.

P R O P O S I T I O I.

Pauca quedam à Cavalerio Libro Secundo præmissa expenduntur.

1. **A**UCTOR noster qui Novam suam Geometriam *Methodum* vocat *Indivisibilium* non nullis visus est Methodum illam non satis methodice proposuisse; immò qui non solum imitari conatus sit Bartholomæum Soverum, sed & Doctrinam ipsius Libro 5. de proportione curvi ad rectum promota, traditam (cuius nomen, quod ipse miror, in Geometria Promota apud Cavalerium non invenio) magis universalem reddere, methodum tamen ipsius claram & Geometricam non adhibuerit, sed res ipsas Geometricas obscuris quibusdam difficultatibus involuerit, quod an verum sit nec ne obiter tantum, & perpaucis considerare constituimus.

2. Cum ergo Definitione prima, Libri Secundi, ponat inter duo plana parallela moveri planum, alteri plano figurato inter duo illa plana intercepto, insistens, iisdem planis semper æquidistanter, de hoc plano moto eiusque effectu sic definit Auctor: *Singula recta linea quæ in toto motu sunt communes sectiones plani moti, & data figura simul collecta, vocentur OMNES LINEÆ talis figura, &c.* Hic ergo dubito, immò sine dubio pronuncio planum motum nullam describere lineam, nisi forte per duo sua extrema puncta. Planum enim motum cum ex suppositione antequam moveatur, aut insistet plano aut illud secet in linea tantum, mota illa linea describet nihil aliud quam superficiem, ut ergo superficies illa sit, & geometricè loquendo vocari possit *Omnes lineæ talis figura*, hoc meo iudicio à nullo obtinebit Geometra, nunquam enim superficies vocari potest plures, vel omnes lineæ; cum linearum multitudo quantumvis maxima, ne minimam quidem componere queat superficiem; multo minus admitendum est Corollarium annexum.

3. Eiusdem farinae est Definitio 2. cum suo Corollario de omnibus planis propositi solidi; ait enim *Singula plana quæ in toto motu concipiuntur in proposito solido, simul collecta, vocentur OMNIA PLANA propositi solidi, &c.* Poterit aliquis in sua definitione vocari velle lapidem, animal sensibile, hoc ut à nemine obtine-

obtinebit, ita per motum illum cum fiat solidum; illud dici nunquam cum veritate poterit *omnia plana propositi solidi.*

4. Quod duæ præcedentes Definitiones determinant de omnibus lineis rectis in figura plana comprehensis, & secunda de omnibus planis in solido contentis, hoc, ut mihi quidem videtur, definitio tertia concludere vult de omnibus punctis, in linea contentis; ut nimirum concipiamus in linea descripta à puncto aliquo, aut aliquibus, *transitus* ut ille vocat, hoc est in motu, ut puncta in illa linea vocentur *Omnia puncta transitus propositæ lineæ.* Verum has tres Definitiones nullus admittere potest Geometra, & multo minus Corollaria, quæ definitionibus annectuntur: Verbo sese expedit Geometra, & dicit, punctum, lineam, planum, in motu semper esse in maiori loco se, quod etiam Philosophi concedunt, de omnibus mobilibus, & sic punctum post se non relinquit punctum sed lineam; linea, superficiem; superficies, solidum. Ab hoc verò ut solido Geometrarum fundamento nulla unquam me dimovebit Methodus, neque divisibilium neque Indivisibilium.

5. Post definitiones (quas omnes perpendere nolimus) sequuntur duo Postulata: Primum nimirum, Congruentium planarum figurarum *omnes lineas* esse congruentes, & solidorum *omnia plana*: si intelligit superficiem congruere superfici ei, & solidum solido, concedimus; de omnibus lineis, & omnibus planis, nihil scimus; quod idem dictum volumus de Postulato secundo.

PROPOSITIO II.

Propositio Prima Libri secundi Geometriae Cavalerij, unâ cum suo Scholio perpenditur.

1. PROPOSITIO Prima Libri secundi Cavalerij, sic habet:

Quarumlibet planarum figurarum omnes lineæ recti transitus; & quarumlibet solidarum omnia plana, sunt magnitudines inter se rationem habentes.

Hæc Propositio absolute negatur; & hoc oppono argumentum; Omnes lineæ & omnia plana, unius & alterius figuræ sunt infinitæ & infinita; sed infiniti ad infinitum nulla est proportio sive ratio. Ergo. Tam maior quam minor clara est apud omnes Geometras, ut pluribus verbis non indigeat. Ergo Conclusio Cavalerianæ Propositionis fallâ est.

2. Vidit hoc oculatissimus vir, & ex Lincea descendens Progenie Bonaventura Cavalerius, quare demonstrationi Propositionis subiungit Scholium sic incipiens: *Possit forte quis circa hanc demonstrationem dubitare, non recte percipiens quomodo indefinita numero lineæ, vel plana, quales esse existimari possunt, quæ à me vocantur, omnes lineæ, vel omnia plana talium, vel talium figurarum possint ad invicem comparari: Propter quod innuendum mihi videtur, dum considero omnes lineas, vel omnia plana alicuius figuræ, me non numerum ipsarum comparare, quem ignoramus, sed tantum magnitudinem, quæ æquatur Spatio ab eisdem lineis occupato, cum illi congruat, & quoniam illud spatium terminis comprehenditur, ideo & earum magnitudo est terminis eisdem comprehensa, quapropter illi potest fieri additio, vel subtractio, licet numerum earundem ignoremus; quod sufficere dico, ut*

illa sint ad invicem comparabilia, alioquin neque ipsa spatia figurarum essent ad invicem comparabilia.

Dicit ergo Cavalerius se non comparare numerum omnium linearum, quem ut recte dicit ignoramus, sed tantum magnitudinem quæ adequatur spatio ab eisdem lineis occupato, cum illi congruat: Congruentia qualis sit esseque possit diximus Propositione præcedenti Num: 5. Magnitudo autem quæ adequatur spatio ab eisdem lineis occupato, duplex est, aut est id spatium quod occupant lineæ in motu, & hoc est tota superficies proposita, quam linea pertransit, sine ulla dependentia à linea non mota vel stabili, & hoc concedimus. Aut est id, quod ipse evincere vult, spatium in quo concipiantur esse lineæ *indefinitæ* (abhorret enim à vocabulo *infiniti*) quæ lineæ occupent illud spatium, & negamus quia nihil aliud occupant nisi longitudines, quæ omnes longitudines simul sumptæ nunquam efficiunt spatium aut latitudinem.

3. Sed pergit ipse: *Vel enim continuum nihil aliud est præter ipsa indivisibilia, vel aliquid aliud; si nihil est præter indivisibilia, profectò si eorum congeries nequit comparari, neque spatium sive continuum, erit comparabile, cum illud nihil aliud esse ponatur, quam ipsa indivisibilia: Negamus & pernegamus continuum nihil aliud esse quam indivisibilia. Ergo ad alia. Si verò continuum est aliquid aliud præter ipsa indivisibilia, fateri equum est hoc aliquid aliud interiacere ipsa indivisibilia, habemus ergo continuum disseparabile in quedam, quæ continuum componunt, numero adhuc indefinita, inter qualibet enim duo indivisibilia equum est interiacere aliquid illius, quod dictum est esse aliquid in ipso continuo præter indivisibilia, quæ enim ratione tolleretur à medio duarum, à medijs quoque cæterarum tolleretur, hoc cum ita sit comparare nequibimus ipsa continua, sive spatia ad invicem, cum ea quæ colliguntur, & simul collecta comparantur, scilicet, quæ continuum componunt, sint numero indefinita, absurdum autem est dicere continua terminis comprehensa non esse ad invicem comparabilia, ergo absurdum est dicere congeriem omnium linearum sive planorum, duarum quarumlibet figurarum non esse ad invicem comparabilem, non obstante, quod quæ colliguntur & illam congeriem componunt sint numero indefinita, veluti hoc non obstat in continuo, sive ergo continuum ex indivisibilibus componatur, sive non, indivisibilium congeries sunt ad invicem comparabiles, & proportionem habent.*

4. Respondeo continuum esse divisibile in infinitum, non autem constare partibus infinitis actu, sed tantum in potentia quæ nunquam exhauriri possit; partes autem illæ inter indivisibilia comprehensæ non sunt, nisi ipsa assignentur indivisibilia. Ita ut si assignetur in figura plana una linea, perimetrum figuræ utroque termino suo attingens vel secans, dividet illa continuum in duas partes, quæ duæ partes & componunt suum totum, & comparare possunt, cum alijs partibus sive huius sive alterius figuræ, sive duabus, sive tribus, sive pluribus, per alias lineas assignatis, quæ etiam simul sumptæ componant suum totum: quia partes tam huius, quam alterius figuræ multiplicari possunt, ita ut hæc illas superent, & contra illæ has, quod idem de lineis assignatis, & simul quoad longitudinem sumptis dictum volo; ac proinde ex definitione quinta quinti Elementorum dicuntur habere inter se rationem. Et sic si sumatur aliqua congeries, sive linearum sive partium planæ alicuius superficiæ, erit illa finita & inter se rationem habebunt, lineæ nimirum cum lineis, & partes cum partibus; non autem lineæ cum partibus. Quare cum non detur nec dari possit Congeries

omnium

omnium linearum, aut omnium partium possibilium, ergo nec proportionem inter se habere possunt, neque lineæ cum lineis, neque partes cum partibus: quæ enim non sunt, nec ullo modo esse possunt, comparatione non admittunt. Plura, in re apud omnes Geometras clarissima, non addimus.

PROPOSITIO III.

De Propositionibus Secunda & Tertia eiusdem Libri Secundi, cum suis Corollarijs.

1. PROPOSITIO Secunda sic habet:

Æqualium planarum figurarum omnes lineæ sunt æquales, & æqualium solidarum omnia plana sunt æqualia, regula quavis assumpta.

Iam diximus omnes lineas dari non posse, sed neq; per imaginationem assumi, quare respuunt ipsæ æqualitatem; vel rectius æqualitas illas afficere non potest. Si sermo esset de lineis finitis, numero æqualibus: ipsæ simul sumptæ in quavis figura seorsim, & æquales possent esse & inæquales, pro specie figurarum & linearum varijs modis in ipsis ductarum: sed hoc non vult Auctor, neque ad ipsius facit propositum. Quod ergo de infinitis ante diximus, & hic repetita volumus.

2. Iucundum addit Corollarium, in quo præter alia ex hac Propositione deducit quasi per exemplum, si Cylindrus planis secetur & per axem, & eidem æquidistantibus, ubi creantur parallelogramma; secetur & alijs basi æquidistantibus, ubi fiunt circuli, dicit omnia illa parallelogramma simul sumpta, æqualia fore omnibus circulis simul sumptis. Sed idem dicendum est, quod de lineis diximus; infinita scilicet plana esse, aut dari non posse: si sunt finita poterunt esse æqualia vel inæqualia. Itaque Propositio hæc cum suo Corollario non subsistit.

3. Propius iam accedit ad iaciendum stabiliendumque fundamentum pro sua *Nova Geometria*, unde tertio sic proponit:

Figuræ planæ habent inter se eandem rationem, quam earum omnes lineæ iuxta quamvis regulam assumptæ; Et figuræ solida, quam earum omnia plana iuxta quamvis regulam assumpta.

Pro demonstratione proponit circulum *A*, & triangulum *D*, & sic argumentatur: Si continuum componitur ex indivisibilibus, patet absq; alia demonstratione figuram *A*, ad figuram *D* esse ut omnes lineæ figuræ *A*, ad omnes lineas figuræ *D*, tunc enim comparare continuum ad continuum non esset, nisi ipsa indivisibilia comparare. Si hoc negetur, sumit figurarum propositarum æquemultiplices, & sic dependenter à propositione antecedente eiusque Corollario propositum, vult concludere; sed quia antecedens Propositio cum suo Corollario nihil probat, etiam in hac Propositione nihil probatur. Ad quam absolute respondemus Figuras posse habere ad invicem rationes, non autem omnes lineas aut omnia plana unius, ad lineas omnes aut omnia plana alterius, hoc est infiniti ad infinitum. De finitis ex supradietis patet responsio.

4. Sed audiamus Corollarium. *Liquet ex hoc, inquit, quod ut inveniamus,*

quam

quam rationem habeant inter se duæ figurae planæ, vel solidæ, sufficiet nobis reperire, quam in figuris planis, inter se rationem habeant earundem omnes lineæ, & in figuris solidis, earundem omnia plana, iuxta quamvis regulam assumpta, quod novæ huius meæ Geometriæ, veluti maximum iacio fundamentum.

Verum hoc fundamentum nullum est, nullius enim figuræ dari aut assignari possunt omnes lineæ, aut omnia plana, quare per ea quæ nullo modo sunt, aut esse possunt, nihil probare possumus.

S C H O L I V M.

CUM fundamentum præcipuum huius Novæ Geometriæ meo iudicio non subsistat, in hac methodo ulterius pro hac vice progredi nolumus: ipse verò Auctor licet sua fundamenta adeo firma atq; inconcussa in Præfatione Lib: 7. deprædicet, ut velut adamantina summorum ingeniorum tanquam arietum iactibus pulsata ne minimum quidem nutantia agnoscantur, & subdit hoc deberi Mathematicarum dignitati. An id ego, inquit, sufficienter præstiterim aliorum iudicio relinquam; unicuiq; enim hæc perlegenti ex animi sui sententia iudicare licebit.

Hac fretus invitatione ausus sum, ea quæ obiter occurrebant in medium proferre, prout feci hætenus, & adhuc fortassis facturum sum. Ceterum ipse post aliqua quæ ad propriam pertinebant defensionem, & ego in supradictis attuli ex aliorum mente sic loquitur: Hic dicendi modus adhuc videtur subobscurus, durior quam par est evadit hic omnium linearum, seu omnium planorum conceptus, quapropter hunc tuæ Geometriæ ceu Gordium nodum aut auferas, aut saltem frangas, nisi dissolvas, & paulò post. Interim qualiscunq; mea fuerit illius (nodi) tentata dissolutio, ipsum tamen in præsentis Libro, novis alijs denuò stratis fundamentis, quibus ea omnia quæ indivisibilium methodo in antecedentibus Libris iam ostensa sunt, alia ratione ab infinitatis exempta conceptu comprobantur, omnino è medio tollendum esse censui. Itaq; hoc septimo Libro omnia ea quæ in prioribus sex Libris per methodum indivisibilium probata sunt, independenter ab ea novis alijs stratis fundamentis promittit se demonstraturum. Relictis ergo tantisper sex prioribus Libris, ad hunc Septimum inspiciendum, & si quæ occurrent difficultates, eadem qua supra brevitate & sinceritate, annotandas me accingo: quem ita legere incipiam ac si solus, ut promittitur, subsistat, & absq; præcedentibus intelligi queat.

P R O P O S I T I O I V.

Quid de Prima Propositione Libri Septimi sentiendum sit aperire.

I. IN hac Propositione prima Auctor sic loquitur:

Figuræ planæ quæcunq; in eisdem parallelis constitutæ, in quibus, ductis quibuscunq; eisdem parallelis æquidistantibus rectis lineis, conceptæ cuiuscunq; rectæ lineæ portiones sunt æquales, etiam inter se æquales erunt. Et figuræ solidæ quæcunq; in eisdem parallelis constitutæ, in quibus ductis quibuscunq; planis eisdem planis parallelis æquidistantibus, conceptæ cuiuscunq; sic ducti plani in ipsis solidis figuræ planæ sunt æquales, pariter inter se æquales erunt. Dicantur autem figuræ æqualiter analogæ, tum planæ, tum
ipsæ

ipsæ solidæ inter se comparatæ, ac etiam iuxta regulas lineas, seu plana parallela, in quibus esse supponuntur, cum hoc fuerit opus explicare.

Conatur hoc demonstrare per suprapositionem tam in planis quam in solidis, verum si pressè & Geometricè loqui velimus, nihil demonstrat, Nam cum ipse figurarum qualitates non solum non determinet, sed eas omnino irregulares ac diversissimarum, specierum cavas, plenas, inflexis varijsque modis sese habentibus terminis comprehensas, esse posse admittat, quis nobis iudicabit (loquamur primò de figuris planis tantum) quando altera alteri superponitur, an sibi congruant nec ne? Quis erit iudex manusnè, an oculus, aut intellectus. Respondebitur intellectum fore iudicem (nam & tactus & visus hinc excluditur) & ideo conditionem necessariam positam esse hanc: ut æquales sibi que correspondentes lineæ rectæ sibi superponantur, hæ enim cum æquales sint, sibi congruent, intellectu iudice. Esto sint sibi suprapositæ, & congruent, quid concludetur? lineas esse æquales? sed hoc habetur etiam ex hypothesi, neque hoc quæritur. Superficies inter rectas lineas parallelas interceptas esse æquales? Nequaquam: nihil enim intellectui constat de binis alijs terminis, qui has particulares superficies unà cum duabus rectis parallelis comprehendunt, an sibi congruant nec ne, cum diversimodè inflexarum linearum esse possint. Sed quod de unà particulari superficie dicitur, de quibusvis & infinitis alijs particularibus superficiebus dicendum est: Ergo de lineis rectis tantum, nihil autem de superficiebus, aut planarum figurarum propositarum æqualitate concluditur: Ergo, ut diximus, propositum de figuris planis non demonstratur.

2. Sed dicet fortassis Demonstrator se tot ducere velle lineas, immò iam ductas supponere, quæ superficies illas interclusas absumant, & in nihilum redigant, aut tam parvas efficiant ut pro nihilo habendæ sint, & sic mansuram illam æqualitatem figurarum quam demonstrare proposuerit. Et ego, qui hoc fecerit, respondeo, nã ille erit mihi magnus Apollo, non autem magnus Apollonius: semper enim illi alij duo termini, qui unà cum parallelis rectis minimam illam quam ille putat, superficiem comprehendunt, infinita suscipiunt puncta, infinitasque terminabunt rectas parallelas, quæ OMNES nullam unquam constituent superficiem; ac proinde nullam absumere, aut annihilare poterunt: divisio superficiei in æternum fieri poterit in partes, quæ omnes simul sumptæ semper paratæ sunt componere & restituere suum ab initio indivisum totum: lineæ dividentes nihil conferunt superficiei, aut ab eadè auferunt. Et sic redire debet Demonstrator ad argumentum proxime propositum solvendum.

3. Transeat dicet aliquis quod ex supradictis minimam superficiem exhibere non possim, exhibebo tamen aliunde per meas lineas parallelas superficiem minorem, quacunque proposita: Et sic conclusio erit ex parte mea; æstimabitur enim ea, cum minor dari non possit superficies illa, quam per meas frequentes parallelas eo deduxi, superficies minima; hoc est linea: & sic ex hoc capite habebò quod volo, eritque figura tota figuræ toti æqualis. Quod erat demonstrandum.

4. Festina lente. Dabis quidem superficiem quacunque data minorem, sed nunquam talem, quæ sit minima, vel æqualis lineæ; urget enim adhuc suprapositum argumentum, quod per hoc non solvitur; quia tuâ illâ quam tu vocas minimam superficiem, tu ipse minorem dare poteris, quæ efficiet ut illa

prior non sit minima, neque posterior hæc, sed semper supersit id, per quod minor adhuc detur. Pluribus enim in locis & Archimedes, & plures alij priori Geometriæ addicti, demonstrant propositæ figuræ inscribi posse & circumscribi alias figuras, ita ut circumscripta figura excedat inscriptam magnitudine, quæ minor sit quacunque eiusdem generis magnitudine proposita. Ergo concludunt circumscriptam magnitudinem æqualem esse inscriptæ? Neutiquam; sed alio adhibito medio termino demonstrant figuram illam, cui circumscriptio & inscriptio facta est, æqualem esse cuidam alteri, quæ minor quidem sit circumscripta, maior autem inscripta.

Concludimus ergo ex his quæ attulimus, Propositionem hanc de Planis figuris nequaquam legitime demonstratam esse.

5. Sed & aliunde hæc quæ vocatur demonstratio, demonstratio non est, ex ipso quem adhibet demonstrationis medio termino, qui est figurarum superpositio; de quibus multi quidem multa, & tandem tamen ea paucis probatur, quando res ipsa aliter demonstrari potest. Quando verò recipitur certis tantum conditionibus recipitur, id quod paucissimis verbis tradit noster Christophorus Grienbergerus ad Pronunciatum 8 Libri 1. Elementorum, quod sic habet: *Quæ sibi mutuo congruunt sunt equalia. Debet autem, addit ille, talis congruentia constare intellectui.* Quæ congruentia in hac demonstratione intellectui non patet, cum se ultra æquales rectas parallelas non extendat. Sic Euclides quando usus est hoc pronunciato Propos: 4. Lib: 1. Elementorum, non solum æquales lineas rectas superponit æqualibus lineis rectis, sed tales etiam quæ æquales continent angulos, unde intellectus iudicare potest eas sibi congruere, &c.

6. Sed quid dicemus de superpositione corporum quæ adhuc magis intellectum fugit? in qua congruentiam aliter imaginari non possumus, quam per penetrationem ut fingantur corpora sese mutuò penetrare; ut sit tam soliditas soliditati, quam superficies superficiei, & alij termini alijs sibi æqualibus congruant, quod in hac Auctoris demonstratione non fit, constat enim solum de congruentia parallelorum planorum, de reliqua superficie, & terminis alijs prorsus nihil invenit intellectus, in quo conquiescat.

Usus quidem est Archimedes hac superpositione Propositione 20 de Conoidibus & Sphæroidibus, sed longe aliter quam noster Auctor; Archimedes enim aliam assumit figuram quæ propositæ per omnia sit æqualis, & similis, & eodem prorsus modo sectam, & superpositiones fiunt semper magnitudinum æqualium, ita ut de congruentia intellectus dubitare facile non possit. Verum hæc ipsa demonstratio non videtur arridere Geometris, Commentator enim Archimedis Fed: Commandinus silentio illam præterit; Rivaltus verò illam tanquam Archimede indignam omittit, ei que aliam à se excogitatam substituit, ut monuimus in Scholio Propos: 5. Cap: 2. Libri huius, & eandem aliter etiam nos demonstravimus, eodem in loco Propos: 6.

Pronunciamus ergo secundo Cavalerium hanc Propositionem, quæ tamen huius Libri fundamentum quoddam esse videtur, tam de planis quam de solidis figuris legitime non demonstrasse.

7. Propositioni huic sequens subnectitur Scholium: *Cum antecedens Prop: maximi sit momenti, ut in sequentibus apparebit, alijsq; modis priorem partem demonstrandi, stylo Archimedeo haud absimilis, menti succurrerit, id ipsum ne pereat in Lem-*

in Lemmata distributum hic subiungere placuit. Lemmata ergo & ipsam inde deductam Demonstrationem breviter examinemus.

PROPOSITIO V.

Alia huius Primæ Propositionis Demonstratio, ut & ad eam requisita Lemmata, perpenduntur.

1. LEMMA primum sic habet:

Si in eadem, vel equalibus basibus, & in eisdem parallelis figurae plane equaliter analogæ iuxta easdem bases fuerint constitutæ, ita tamen ut quæcunque equidistantium basibus linearum portiones in eisdem conceptæ figuris integræ sint, ac eidem basi, vel basibus æquales, ipse pariter figurae inter se æquales erunt.

Lemmatum hoc easdem plane patitur obiectiones, quas ipsa præcedens Propositio. Nihil enim demonstratur de superficiebus, sed de lineis tantum; & de superficie inter binas æquales rectas intercepta, non scimus quales sint reliqui duo termini, qui unâ cum binis rectis parallelis superficiem illam claudunt, semper enim manent divisibiles in infinitum. Huic tamen Lemmati medebitur, si figuras illas æqualiter analogas, descriptas supponamus per motum parallelæ lineæ illius quæ dicitur basis; eo scilicet modo quo Auctor describere docet parallelogramma mixtilinea in demonstratione Lemmatis 2. Sic enim concludere potest non de lineis tantum, sed etiam de superficiebus quas linea describit mota; & sic loco puncti *R* assumere potest partem lineæ curvæ, & adversarium ad absurdum ducere: terminus enim lineæ motæ post se relinquit, non punctum tantum, ut fit in figuris istis analogis, sed lineam, & ipsa linea mota semper est in loco maiori se, hoc est in superficie, &c.

2. Lemma porro secundum his verbis proponitur:

Si in equalibus rectis lineis, tanquam in basibus, & in eisdem parallelis, fuerint quæcunque plane figurae, equaliter analogæ iuxta dictas bases; portiones autem equidistantium quotcunq; ipsis basibus linearum in figuris conceptæ integræ fuerint, ac in altera dictarum figurarum sic se habentes, ut qualibet propinquior basi sit maior remotiori, dictæ figuræ inter se æquales erunt.

In demonstratione Lemmatis huius pag: 14 linea 6. dicitur: *Cum ergo figura comprehendens spatium CQPD, superet ab eo comprehensam, parallelogrammis BZ, 2Φ, 3Ω, ΔM, quod non videtur verum esse, superat enim trilineis tantum BCF, 2EI, 3IN, ΔNQ, hoc est, subiicit, parallelogrammo ΔP: sed qua ratione probeatur aut demonstratur illa vel parallelogramma, vel trilinea æqualia esse huic parallelogrammo ΔP, cum dicat hoc est parallelogrammo ΔP, non apparet. Debet ergo demonstrari trilinea illa simul sumpta parallelogrammo ΔP æqualia esse, vel minoræ.*

3. Ipsa porro demonstratio tota iisdem ferè difficultatibus subiacer, quibus ipsa prima Propositio. Cum enim figuræ æqualiter analogæ definiantur tantum, per lineas correspondentes æquales in illis paralleliter existentes, nihil determinare possumus de binis alijs lineis, in quibus prædictæ lineæ terminantur, quæq; unâ cum binis parallelis figuram illam constituunt: sola enim puncta intellectui repræsentantur.

4. Sequitur Lemma tertium sic se habens:

Si curva linea quaecunque tota sit in eodem plano, cui occurrat recta in duobus punctis, aut rectis lineis, vel in recta, & puncto, poterimus aliam rectam lineam praefatae equidistantem ducere, quae tangat portionem curvae lineae inter duos praedictos occurfus continuatam.

Sensus huius Lemmatis est fieri posse, ut talis ducatur linea tangens; id quod nos concedimus. Possibile praeterea est invenire verticem lineae curvae in figuram redactae, & Geometricè quidem plurium talium figurarum de quarum ortu ac genesi constat, non autem per eam quae in demonstratione citatur Propositionem Libri Primi, de qua nos in Praefatione Libri Secundi nostrorum Centrobarycorum. Cum ergo vertex figurae Geometricè inventus non sit, neque linea tangens geometricè detur, cadit id quod huic Lemmati subnectitur Corollarium.

Hinc manifestum est quomodo ducenda sit recta linea datam curvam totam in eodem plano cum ea existentem contingens, quae quidem data recta linea sit equidistans

Nihil enim manifestum est quam possibilitas.

5. Lemma 4. *Si proposita quaecunque figura plana uni regulae parallelis quotcunque lineis ita secari possit, ut concepta in figura recta linea integra semper existant; Ipsa ex parallelogrammis rectilineis, aut curvilineis, seu ex figuris in alteram partem deficientibus, regula eadem, componetur.*

In demonstratione huius Lemmatis desideratur in primis ratio & modus describendi lineam varie flexuosam ANE , per motum rectae FE ; qui quidem & eidem rectae FE , & lineae SA semper sit parallelus, capit intellectus: quomodo autem punctum E describat illam ANE , aut aliam diversimode flexuosam lineam, nullis praescriptis conditionibus, intellectus non videt, maxime cum iam posita sit alia curva linea $SROIF$, in puncto F lineae FE motae terminata. Dicitur quidem ad punctum E esse attendendum, ut describat lineam ENA cum recta AE figuram comprehendentem, quae proposita figura $SPFR$, sit equaliter analogam iuxta regulam FE .

Sed quaero per quam viam incedere debeat punctum illud E , ut unà cum AE , quae hic proponitur recta, comprehendat figuram ipsi $SPFR$ equaliter analogam? Si respondeatur producendas esse lineas HI , QO , PR usque ad rectam AE , ut ipsam secent in punctis D , C , B , ex quibus in productis abscindantur DL , MC , BN , ipsis HI , QO , PR aequales; atque per haec puncta L , M , N , transeundum esse puncto E , quod movetur; quae quidem hic pro instructione necessaria danda omittuntur: Sed quis huic puncto E , viam monstrabit inter E & L , inter L & M , inter M & N , & inter N & A ? Si dicatur plures esse ducendas lineas: redibit tamen rursus eadem quaestio, semper enim manebunt spatia per quae punctum E sine duce transire debet. Nihil ergo concludemus etiam hoc Lemmate: multo minus admittetur Corollarium hoc:

Hinc habetur figuram $SPFR$, ipsi ANE aequalem esse, & universaliter figuras planas equaliter analogas, in quibus earum regulae equidistantium quotcunque linearum conceptae portiones integrae sunt, inter se aequales esse.

6. Ergo ulterius progrediendum erit, quod si fecerimus perveniemus ad ipsam, quae demonstranda Archimedeo modo promissa fuit, Propositionem primam, supra Propositione nostra quarta relatam, quae sub eodem nomine Propositionis Primae septimi Libri sic proponitur.

Proposi-

Propositio antecedens aliter quoad priorem partem ostensa.

Ostensa quidem in charta per varias figuras (quas qui videre velit ipsummet consulat Auctorem,) sed non demonstrata pro communi saltem Geometrarum intellectu. Mirabiles quidem ostendit figuras quas vocat *Æqualiter Analogas*, sed quæ sint figuræ æqualiter Analogæ, si quæramus more Geometrarum Definitionem, responderetur illas esse figuras æqualiter analogas, quæ eas habeant proprietates quas Prima Propositio Lib: 7. illis attribuit, quam reculimus Propositione nostra quarta Numero 1. Si quæfiero quomodo Geometricè describantur, unum affertur exemplum in parenthesi demonstrationis Lemmatis 2. de parallelogrammo tantum, hoc modo; *quò pacto data basi & curva linea tota in eodem plano cum ipsa basi, ac uni extremorum eiusdem conterminante, parallelogrammum curvilineum, ab iisdem apprehensum describere docemur.* Quomodo autem reliquæ quæ non sunt parallelogramma describendæ sint, altum silentium. Moverur quidem linea paralleliter alteri, & ad eius extremum unum attenditur, sed quid fit de altero? quod ipsum deberet esse via descriptionis? Pulchra fuisset huius operis sive Lemma sive Propositio. Data figura quacunq; inter parallelas exposita, describere ei figuram aliam quo ad perimetrum quidem diversimode dissimilem, sed æqualiter analogam.

S C H O L I V M.

1. **V**ISIS ergo istis, tam in *Methodo Indivisibilium*, quam in hoc *Libro Septimo ab Indivisibilibus*, iuxta Auctoris sententiam independente, occurrentibus plurimis difficultatibus, nolumus, neglectis proprijs nostris in *Libris Centrobarycorum* omisissis parergis, inquirere ulterius; maxime cum hæc inquisitio facta non sit, protestor, ad confundendum aut supprimendum Auctorem, quem magni facimus, sed ut ex illis novis Inventis aliquid obtineremus, quo Usum, Fructum, & Gloriam Centri gravitatis augeremus. Quare cum nostrum propositum hac ratione assequi posse hac vice desperaremus; incerta enim pro certis proponere nolimus: Ideo hoc labore supersedendum esse indicavimus. Reliqua huius negotij in aliud tempus, uti monuimus, si Deus vitam & bonam valetudinem dederit, reservantes. Modeste tamen ipsum Cavalerium rogatum volo, ne id vitio vertat, quod ipse ut fieret ultro expetierat; & reliqua quæ in fine Propositionis 11. Capitis precedentis de Keplero diximus, Ipse etiam sibi dicta esse putet: Scopum enim Veritatem eiusq; cognitionem manifestam posuimus; illum enim attigisse, Hoc Mathematicarum dignitati, ac summæ certitudini, quam præ omnibus alijs humanis scientijs, nemine Philosophorum reclamante, ipsæ sibi vendicârunt, maxime convenire manifestum est. Ipso illo (in *Prefatione Lib: 7.*) hoc edicante.

2. Unum tamen hoc loco, id nimirum quod his omnibus scriptis ultimo memoriæ debilitata occurrit est, quod tam Cavalerius, quam alij fortassis contra ea quæ adhuc disputavimus obijcere possent, quod omnino diluendum ante finem huius Capitis videtur; Christophorum videlicet Clavium, quem in omnibus & ubique quasi ex professione defendere constituimus, usum fuisse in aliquo saltem loco hoc, quem nos reiecimus, argumentandi modo: Ipsum nimirum ex pluribus punctis conclusisse de lineis, immò usum fuisse vocibus istis, à nobis reprobatis, omnia puncta, omnes lineæ; & hoc non tam argumentando induxisse, quam ut principium proposuisse, adeo clarum, ut lumine naturali cognitum sit, nemoque sanæ mentis illud negare possit. In

Scholio enim Propositionis 28. Libri 1. Elementorum, ubi axioma 13. Euclidis, quod iudicârat tanquam principium assumendum non esse, demonstrare conatur Geometricè; postquam Procli demonstrationem (qui idem sensit) retulisset, eamq; non satis validam, aut omnibus numeris absolutam, quasi reprobasset, ipse Clavius Numero 1. hoc ponit principium.

Linea, cuius omnia puncta à recta linea, quæ in eodem cum ea plano existit, equaliter distant, recta est.

3. Ad quod respondendum iudico: Si hoc loco omnia puncta sumantur simul collecta, ut facit Cavalerius de suis punctis aut lineis, idem de illis dicendum esse, quod hoc Capite de iisdem diximus. Si verò intelligantur per omnia puncta, tot quot assignari possunt, adhuc in eadem manemus sententia, & dicimus nihilominus nihil probari per ista puncta de linea, quia omnia puncta, cum sint infinita, assignari nequeunt; ea autem quæ assignantur finita, nullam componunt lineam, sed adhuc semper inter duo proxima puncta duci potest linea, sive recta, sive curva, & hoc in infinitum. Ergo nihil constat de linea: atque ex hoc Capite claudicat hoc Principium.

4. Nullus autem dubito Clavium hoc vidisse, vel si non vidit (nam quandoq; bonus dormitat Homerus) nihilominus tamen ac si sibi, & iure merito quidem, non satisfecisset per hoc Principium, aliud Num: 11. subiungit his verbis!

Si recta linea super aliam rectam in transversum moveatur, constituens in suo extremo, cum ea angulos semper rectos, describet alterum illius extremum lineam quoq; rectam.

Dignum nimirum Clavio Principium, quodq; sine illo priori intento suo, & Geometricis omnibus satisfacit; potest enim ut Principium per se solum assumi, eo in loco quo Clavius supponit 28 Propositiones Primi Libri Elementorum demonstratas, & si opus esset ab illis & alijs Principijs præmissis dependens; nulla enim alia indiget probatione: Huic enim soli assentitur intellectus Geometricæ illius, qui saltem illa, de quibus diximus Principia & Propositiones percepit; non Priori; licet Clavius addat: Est Principium hoc æque clarum, & evidens atque antecedens. Est enim hoc non æque clarum, sed longe clarius; quia per hoc ex motu rectæ lineæ per ipsius uno termino libero, altero autem ita affixo rectæ alteri lineæ, ut neque in motu, neque consistens in ea, aut ab ea dimoveri, aut ipsa lineæ mota inclinationem mutare possit, describit lineam, de qua recte concluditur eam fore rectam. Illud autem Principium, si Principium dicendum, non nisi sola, solitariaq; assignat puncta; quæ quidem omnia in eadem erunt lineæ recta, quæ tamen prius cogitetur per duo saltem puncta, id quod ultro admittimus, ducta & quantum opus est ad utramq; partem producta: Puncta tamen illa quotquot tandem fuerint; repetimus idem; nullam partem lineæ ductæ constituent, ac proinde nihil ex illis de qualitate lineæ probare aut assumere possumus.

Ergo sine priori illo Principio per posterius, & reliqua sequentia Clavius id quod proposuit sufficienter demonstrat. Quod ad tuendam Clavij auctoritatem, & nostram sententiam roborandam nunc sufficiat.

Sed ut finem tandem desideratum aliquando attingamus, cum bona pace & Archimedis, & Euclidis, quos singulari honore profecuti sumus; immò & Pappi Alexandrini quem præterivimus, Kepleri etiam & Cavalerij quos ut amicos tractavimus, huic Libro quarto, & toti Operi de Centro Gravitationis finem imponimus. Coronidem tamen superimponimus, & Epilogi loco denuò in medium producimus Problema quoddam Arithmeticum, quod anno 1622, Vi-

enna

ennæ ad excitandos nostros discipulos composuimus, & per unum illorum publice demonstrare curavimus, ea ratione ut sequitur.

PROBLEMA ARITHMETICUM.

D E

RERVM COMBINATIONIBVS.

Quo Numerus Dictionum seu Coniunctionum
diversarum, quæ ex viginti tribus Alphabeti litteris
fieri possunt, indagatur.

I. **I**N nostra Mathematicæ Palæstra, maxime locum habere debet tritum illud: Qui benè distinguit benè docet; cum nemo sanè Mathematicus iure audire possit, qui solo Mathematicæ cortice contentus, ne in confusio quidem, aut obiter saltem interiora, secretioraque eius sacraria adytaque penetravit; nunquam partium eius ordinem, numerum, connexionem, obiectorum diversitatem, demonstrationum ac regularum varietatem cognovit; qui nunquam subalternatarum à subalternantibus, inferiorumque scientiarum à superioribus, purarum à mixtis, speculativarum à practicis, & harum à mechanicis artibus distinctionem investigavit. Ne ergo Philomathematici nostri indigni hoc nomine redderentur, sed ex ignorantis pelago emergerent, atque ad studium nobilissimarum istarum scientiarum accenderentur, nos Mathematicam tanquam Reginam potentissimam, cum numero sibi subditarum scientiarum famulatu, initio Lectionum nostrarum productam conspeximus; sed & illarum ordinem, subdivisiones, definitiones cum suis differentijs ac distinctionibus fusè ac luculenter aliquot prælectionibus explicatas accepimus: quas etiam, ne memoria exciderent, iucundo quodam ordine in parva charta coarctatas, non solum spectandas hodie, sed & in posterum summo desiderio amplectendas, vobis proposuimus. (*vide Lib: 1, pag: 1. & 20.*) Ut verò hunc ipsum ordinem opere teneremus, quem calamo depinximus, sermoneque explanatumque illustratumque; audivimus, structuram ab ipsis fundamentis ordiri æquum fuit, ab Arithmetica videlicet Euclideaque; Geometria: quibus destituti nullam unquam, etiamsi per Nestoreos viveremus ac studeremus annos, veram ac solidam scientiam acquireremus. Hinc enim tenebræ illæ, plus quam Chimereæ, hinc errorum labyrinthus, & immensum ignorantie chaos; hinc illud portentum infame, ut qui sciunt, se tamen scire nesciant, & quod nesciunt, se scire putent. Hinc tot Mechanici Mathematici, Agrimensores inepti, doliorum vinariorum exhaustores potius, quam dimensores. Hinc tot exhausti Mercatores, infelices belli Duces, PseudoArchitecti & artifices, qui ingentes moles attrahere, aquas in altum educere, novas machinas struere promittunt potius, quam perficiunt. Hinc tot sine ingenio Ingeniarum, motus perpetui indagatores frustranei, infortunati Circuli Quadratores, Paralogramorum-

gismorumque omnium Architecti. Hinc denique homo ille, qui cepit ædificare, & consummare non potuit.

Ergo cum mihi propositum sit, ex Arithmetiis aliquid proferre in medium, hoc solum hodie conabor ostendere, quomodo progressionum ac Combinationum ex iisdem Arithmetiis desumpti compendij beneficio, unius horulæ spacio Arithmeticus id efficiat, quod alius, non dicam iam multis diebus, sed ne pluribus quidem annorum curriculis, ad finem posset perducere. Placet primo trita aliquot exempla producere, tum iucundo ac novo invento doctrinam hanc perficere.

II. Duo certamen sponsonemvè ineunt. Alter centum lapillos sic se dispositurum promittit, ut primum ex acervo acceptum post unum reponat passum, unde ad cumulum regressus secundum inde tollat, ac post duos passus collocet; lapillum tertium ad tertium passum; & sic usque ad centesimum, pro quolibet lapillo bis tot passus faciendo, quotus ipse est in ordine; ita ut pro centesimo sive ultimo centum passus ipse, donec illum collocet, progrediatur, & ad acervi locum per totidem redeat: quod totum citius se perfecturum certat, quam alter ad pagum quinque millibus passuum ab acervo distantem excurrat, atque ad eundem locum redeat. Unde quæstio exoritur, si uterque pari pede passuque procedat, uter alter alterum vincat. Hunc computum, etsi, ut videtis, facillimum, per unitates tamen solitarias, quibus naturalis Arithmetica utitur, hodie plane non perficerem; arte verò utcumque instructus mox video, illum progressionem constituere Arithmeticam, cuius primus terminus binarius, ultimus biscentenarius; per tot enim passus it ac redit, pro primo & ultimo lapide.

Hos ergo terminos, ut hic videtis, unam in summam colligo, & hoc ipsius dimidium, in lapillorum numerum, qui est centenarius, multiplico, & ecce numerum omnium passuum, decies mille videlicet ac centum produco. Dico ergo alterum ex pago citius rediturum, cum decies mille tantum passus conficere debeat, alter verò centum amplius. Accipite exemplum alterum.

III. Vendebatur cuidam equus generosus ac bellicosus, precio florenorum millium; quod cum emptori videretur nimium, in hoc tandem conveniunt: ut primum clavum emptor tali solvat nummo, quorum ducenti quadraginta, florenum unum constituunt; secundum clavum duobus, tertium quatuor nummis persolvat, & sic deinceps præcedens precium per progressionem Geometricam semper duplicando, usque ad clavum trigesimum secundum, quibus soleæ quatuor equi pedibus affixæ fuerant. Id cum in unam summam Arithmeticus paucis hisce characteribus collegisset, non solum ultra mille, sed & septendecim milliones, octingenta nonaginta quinque florenorum millia, sexcentos nonaginta septem, pro precio equi reperit. Sed & tertium placet adducere.

IV. Invitavit quidam duodecim ad conviviū laute opipareque instructum, primogenita novi anni die. Qui cum iam mensæ essent assessori, offerente unoquoque alteri locum principem, honestum aliquamdiu inter eos, ut fit, erat certamen: quam amicam litem, ut hospes, moræ pertæsus, ingeniosè dirimeret, se illos toties eo anno, & si opus foret, ulterius, quod quidem non suspicabatur, cœna prandioque quotidie excepturos esse promisit, quoties ipsi inter sese locum variare mutareque possent, ita ut nunquam eodem ordine accumbant. Hæc promissa læto omnes gratoque animo excepere convivæ,

unico

unico qui intererat Arithmetico excepto, qui nullum tam diu superstitem fore, liberrime pronunciavit. Quo dicto alij eum ludere arbitrabantur, alij etiam illudebant. Ventum igitur serio ad computum est, ostensumque his paucis numeris, ex Combinationum regulis desumptis, ab Arithmetico, promissa hæc ut impleantur, spacium annorum sexaginta quinque millium, quingentorum nonaginta octo requirere, convivia verò ultra quadringentos ac septuaginta novem milliones, mille sexcenta.

V. Verum enim verò ne in admirationem tantum rapere, doctrinam autem ac rationes eorum quæ diximus vos celare velle videar, de his quas diximus Combinationum, Coniunctionum sive Commutationum regulis, plenius lubet differere, totamque rem altius repetere. Ut ergo cum ipsa Regula exemplum aliquod ponamus ob oculos, 23 elementa quas litteras vocare consuevimus, volo assumere, & quot dictiones diversæ queant fieri, inquirere; & ita quidem ut quælibet littera semel tantum in quavis dictione locum habeat; an verò deinde omnes significativæ sint, aut pronunciari commode possint, nec ne, de eo nunc parum laboro.

Non sum nescius id ipsum præstitisse iam pridem Christophorum Clavius, Societatis IESU Mathematicorum facile Principem, in ijs, quæ doctissime conscripsit in Sacrobosci Sphæram egregijs commentarijs. At cum hoc pro una tantum coniunctione fecerit, ubi nimirum dictiones singulæ, simul omnes 23 litteras adhibent, eadem autem litteræ longe aliter, ac multifarie variari possint, non iniucundum fuerit, ea ipsa, quæ ab alijs omissa sunt, uberius profèqui.

VI. Enimvero 23 illæ litteræ sumi possunt primo Singulæ; deinde Binæ; tum Ternæ; post Quaternæ; post Quinæ; & sic ad numerum usq; vigesimum tertium, quem solum profecutus est Clavius. Ergo ut ad rem ipsam veniamus, quando singulæ tantum sumuntur litteræ, clarum est plures fieri non posse, quam 23 diversas acceptiones. Cum verò binæ coniunguntur, Combinationes fiunt vicies bis viginti tres, hoc est numero quingentæ & sex. Nam si litteræ A, ad dextram associantur reliquæ 22 litteræ, habebuntur 22 Combinationes seu vocabula, binarum litterarum singula, nec aliud excogitari poterit, quod primam habeat litteram A. Et quoniam eadem est ratio de reliquis 22 litteris; de B scilicet occupante primum locum, & reliquis 22 secundum obtinentibus; de C deinde similiter; de D, de E, F, & reliquis, constat id quod diximus, Combinationes nimirum fore vicies bis viginti tres, quæ sex supra quingentas sunt.

VII. Si iam litteras ternas pro una dictione coniungere velimus, dictiones fient vicies semel, vicies bis, viginti tres, numero videlicet decem mille sexcentæ viginti sex. Nam si litteris A, B, hoc est, ut A primum, B verò secundum locum obtineat, & ad dextram eis adiungantur singillatim viginti & una, quæ scilicet reliquæ sunt litteræ, habebuntur dictiones viginti & una, quarum quælibet tribus constat litteris; nec alia fieri poterit, quæ primam litteram A, & secundam B habeat. Et quoniam eadem est ratio de viginti duabus litteris, singulis semel secundum locum obtinentibus, dum A primum, reliquæ verò 21 tertium occupant, clarum est, hoc modo vicies semel viginti duas dictiones fieri. Quia autem 23 sunt litteræ, quarum singulis primus locus concedendus est, hinc fit, ut numerus qui ex multiplicatione 21 in 22, qui est quadringenta

sexaginta duo, producitur, in viginti tria ductus, numerum omnium diversarum dictionum trium litterarum, quæ ex toto Alphabeto fiunt, exhibeat, qui, ut diximus, est decem millium sexcentarum viginti sex, neque ulla alia restat, quæ ab hisce diversa sit, dictio. Quia verò idem nascitur numerus, sive prius 21, ducantur in 22, & productus in 23; sive 23 primò in 22, & productus in 21; ut ex adscriptis apparet operationibus: & verò 23 in 22, pro dictionibus binarum litterarum ante duximus, & 506 produximus; satis ergo erit compendij gratia hunc iam in 21 ducere.

Hac ergo methodo omnes reliquas litterarum coniunctiones sive diversa vocabula, ordine demonstrare liceret, quando nimirum quaternæ, quinquæ, senæ, &c. accipiuntur litteræ; id tamen, ne longior sim, lubens omitto.

VIII. Verum, ex illis particularibus demonstrationibus nobis facillimum fuerit, Regulam universalem condere; ita ut dato quocunq; ad Combinationem quarumvis rerum numero, (qui in exemplo nostro viginti trium litterarum fuit) per eam mox habeatur numerus omnium coniunctionum, in quo nulla alteri similis sit, neque in ulla res eadem repetatur, & hoc quando primo singulæ, deinde binæ, post ternæ, quaternæ, &c. usque ad ipsum propositum numerum accipiuntur. Regulam hanc sic concipimus.

Numerus rerum in vertice ad calculum positus, is ipse est acceptionum, quando res sumuntur singulæ. Hic multiplicatus per numerum unitate se minorem, producit numerum Combinationum, cum binæ accipiuntur. Qui rursus multiplicatus per numerum unitate minorem, quam fuerit proxime præcedens multiplicans, numerum faciet coniunctionum trium rerum. Qui ipse ductus in numerum unitate minorem multiplicante eo, qui proxime præcesserit, numerum efficiet coniunctionum, quando quaternæ iunguntur: & sic ordine procedendo, donec multiplicans ad unitatem descenderit; quæ cum sua multiplicatione nihil variet, id circo maximus productus iterandus est. Producti tandem hi numeri unam in summam collecti, quæ situm omnium acceptionum, Combinationum ac coniunctionum numerum indicant.

IX. Is autem in nostro de 23 litteris exemplo, ut hic videtis, est 70,273; 067,330; 330,098; 091,155. Septuaginta millium, ducentorum septuaginta trium millionum millionum; Sexaginta septem millium, trecentorum triginta millionum millionum; trecentorum triginta millium, nonaginta octo millionum; millium nonaginta & unius, centum quinquaginta quinque dictionum: quarum nulla sibi similem habet, nullaque littera in eadem dictione repetitur, cum tamen omnia ex parvo hoc 23 litterarum numero orientur. Non ergo mirum tot in mundo esse linguas, & in unaquaque tot diversa vocabula. Hic verò ordinem multiplicantium conspiciatis, quorum quilibet in numerum proxime superiorem multiplicatus, sibi adscriptum produxit coniunctionum numerum.

X. Quod si numerum litterarum hisce dictionibus contentarum, quis scire desiderat, is quemlibet ex his expositis per numerum multiplicet litterarum, unaquaque dictione comprehensarum, & productos similiter in unam summam colligat, ut nos hic fecisse videt. Quæ summa est, unius millionis millionum millionum; quingentorum quadraginta sex millium, septem millionum

lionum millionum millionum; quadringentorum nonaginta & unius mille, ducentorum sexaginta septem millionum millionum; ducentorum sexaginta duorum millium, centum quadraginta septem millionum; nongentorum, quinque millium, quadringentarum & triginta trium litterarum.

XI. Quanti autem quamq; immensi sint isti vocum litterarumque numeri, tales quippe, qui vix cogitatione (testes vos ipsos appello) apprehendi queant, ut aliquo modo perspicere possitis; litteras hasce in codices colligemus, huic, quem hic videtis, omnino similes & æquales, si forte horum librorum numerus, mentem nostram aperiat.

(Liber iste Tabulas continet Arithmeticas Io. Georgij Herwarti, Monachij Anno 1610 editas.)

Habet ergo codex iste, ut videtis, quingentas paginas, numerus enim ultimus, qui facies numerat, est millenarius, in qualibet verò facie centum versus seu lineas, & in quavis linea characteres ferè 60, unde una facies suscipere potest centies sexaginta, id est sex mille litteras, quæ ductæ in mille facies, producunt sex milliones litterarum unius codicis, per quos si numerum hunc litterarum omnium diviserimus, numerus exhibit quem quærimus librorum, litteris illis complendorum; videlicet ducentorum quinquaginta septem millium, sexcentorum sexaginta septem millionum millionum; nongentorum quindecim millium, ducentorum undecim millionum; ducentorum decem millium, trecentorum quinquaginta septem, 257,667; 915,211; 210,357, & ultra 5 milliones litterarum adhuc supersunt, quæ id Librum totum compleant non sufficiunt.

XII. Sed nescio quem vestrum submurmurantem audio, se non magis hunc, quam priorem numerum aestimare posse, rem totam se cupere per minorem numerum cognoscere. Huic ut satisfaciam, omnes, uti confido, mihi dabitis & aures & veniam. Hos libros ergo in Bibliothecas colligere est animus, quod ut commode efficiam, tam libri quam Bibliothecæ magnitudinem primo oportet describere. Librum iam ob oculos posuimus, eius crassities quadrantem adæquat pedis Viennensis, quam mensuram latitudo ter continet, longitudo verò sive altitudo sesqui pedem, Bibliothecam instruem magnificentissimam, eamque undique quadratam, quam formam Mathematici vocant cubicam, cuius altitudo non minor sit quam turris S. Stephani, quam à base usq; ad summum apicem quadringentorum triginta duorum pedum Viennensium esse perhibent; quos triginta duos pedes parietibus, hinc & inde tribuimus, utrobique videlicet 16, totidemque in altum pro varijs contignationibus, ita ut nobis per dimensiones singulas tam in altum, quam in latum ac longum, quadringenti pedes solidi permaneant: Tectum ædificio huic qui volet imponet, idque si placet usque ad concavum Lunæ evehet; nos interim libros nostros in loculos collocabimus. Altitudo ducentos suscipit loculos, parietem unum ex quatuor implentes, sic enim cuilibet loculo duo pedes in altum obveniunt, libro sesqui pedem assumente, reliquum semipedem asser ac parvulum, quod necessarium est, spacium occupant; & quia liber unus quadrante pedis spissus est, idcirco tota longitudo unius loculi mille sexcentos capit libros; qui multiplicati in ducentos, qui in altum exsurgunt, loculos, faciunt trecenta viginti librorum millia, qui integro ducentorum loculorum ordini conveniunt. Restat nunc ut latitudinem etiam occupemus palatij. Loculus unus dodrantem pedis, quanta scilicet latitudo libri est sibi postulat; tum ambulacrum sequi

debet; post alius loculorum ordo, & quidem duplex, alter qui primum, alter qui secundum respiciat ambulacrum; post ipsum secundum ambulacrum; deinde duplex alius loculorum ordo; & sic alternatim, quam diu latitudo suppetit. Ambulacrum autem eam sibi assumet latitudinem, ut duo homines commode simul deambulare in eo, atque hinc inde scalas ad libros accipiendos admoveere possint, ad quod sex pedes cum dimidio sufficere iudico. Quare uni loculorum simplici ordini & ambulacro dimidio, 4 pedes tribuendi sunt, & sic quod sequitur, toti latitudini, quæ quadringentorum pedum est, centum loculorum ordines obtingent. Cum ergo unus ordo trecentaviginti milia librorum habeat, centum ordines, atque adeo una integra Bibliotheca, triginta duos milliones librorum capiet: per quos divisus superior omnium librorum numerus, prodibit nobis Bibliothecarum numerus, quæ ad libros locandos necessariae sunt, 8, 052; 122, 350, octo millium videlicet ac quinquaginta duorum millionum; centum viginti duorum millium, trecentorum quinquaginta.

XIII. Hisce autem an submurmuranti satisfecerim plane dubito, certè mussitantem aliquem adhuc audio: qui ex loco quem Bibliothecæ istæ occupant rectius, quam ex illarum numero, magnitudinem initio propositi litterarum numeri, aestimari se posse iudicat. Equidem & huic postulato libenter satisfaciam. Sed quam Provinciam, quod Regnum, quod Imperium, Sinarum, Turcarum, an verò Christianorum, imò quem orbem, antiquumne, an novum occupabimus? Placet sane de ipso toto, tanto quantus est, globoso terrarum orbe, periculum facere. Ne autem colligendo in civitates Bibliothecas nostras tempus teram, omne quod siccum in orbe est, ne lato quidem ungue relicto, an sufficiat, videbimus. Oceanum ergo & maria cum aquis cæteris, medietatem saltem terrenæ superficiei absumere, nemo negaverit, unde nobis manet altera medietas, quæ secundum diligentiores recentiorum observationes est 1, 413; 716, 700; 000, 000 millium quadringentorum tredecim millionum millium; septingentorum sedecim millium, & septingentorum millionum pedum quadratorum. Superficies verò quam una Bibliotheca in terra occupat eorundem pedum est centum octoginta sex millium, sexcentorum viginti quatuor; unde dimidia illa Orbis superficies per hanc divisa, hunc reddet Bibliothecarum, quæ dimidium orbem occupant, numerum 7, 575; 213, 799, qui adhuc multo minor est quam iste 8, 052; 122, 350, quo pro libris nostris opus habemus, quippe qui illum superat hoc Bibliothecarum numero 476; 908, 551, pro quibus nullum in terrarum orbe locum habere possumus, qui certe tantus est, ut illi etiam vastissima nostra Europa non sufficeret. Ex quibus puto quilibet immensam percipit vocum istarum diversarum, quas ex 23 litteris composuimus, multitudinem.

XIV. Quod si aliquem sciendi adhuc teneret cupiditas, an ne libri isti, de quibus diximus, alter iuxta alterum ita positus, ut nullum prorsus relinquat spacium, totam operire possent terrarum superficiem, sumpta etiam illa tanquam sicca, quam aquæ supra tribuimus, eo quod ipse non solum libris istis fictis fictam superficiem satis esse iudicet, sed maxime quod ambulacra nostra, quæ in Bibliothecis nostris à libris vacua multa & ampla construximus, illi inspecta sint: Coronidis loco & huic suspicionem tollendam esse iudico. Atque pro triplici ratione triplex etiam do responsum. Libri enim vel hoc modo stare possunt

possunt erecti, vel longiori suæ superficiæ incumbere, vel ita iacere in latum. Subducto igitur calculo, pro primo modo reperio, non solum unius Terræ superficiem non satis esse, sed neque 17 tales Orbes sufficere; Secundus modus duplo plures postulat; iuxta tertium verò duos supra centum Terrarum globos & eo amplius, libris nostros tegere ita possumus, ut ne punctum quidem Physicum ex Terra appareat.


Verum quot iam scriptoribus opus fit, quantumque temporis ad scribendos libros illos necessarium, & similia alia; Item an chartâ illâ, ex qua Libri nostri variarum dictionum constant, non iam terram, quam libris solidis aliquoties contexamus, sed cœlum ipsum, quem scilicet, vel quos, aut quot orbes, an ipsum denique Firmamentum, quam sedem stellarum fixarum dicimus, obducere atque vestire liceat, ne benevolentiam vestram diutius detinendo, ea abuti me velle videar, illi ipsi consideranda relinquo; viam ostendimus qua
itur ad Astra.

F I N I S.

Sequitur nunc Tabula ad hoc Problema Arithmeticum spectans, in suos divisa Numeros, respondentes Numeris in Problemate positis.

D E I N D E.

Sequuntur Tabulæ Numerariæ de quibus suis locis.



Accipiuntur Ternz.				Ad Numeri VII.		Ad Numeri VIII. & IX.		Multiplicantes.		Ad Numeri X.		Coniunguntur Ternz.			
ABC	ACB	ADB &c. 22.				Dictiones.	Primi	Secundi	Litteræ.			22. &c. BDB	BCA	BAC	
ABD	ACD	&c.										&c.	BCD	BAD	
ABE	ACE	21.										22.	BCE	BAE	
ABF	ACF												BCF	BAF	
ABG	ACG												BCG	BAG	
ABH	ACH												BCH	BAH	
ABI	ACI												BCI	BAI	
ABK	ACK												BCK	BAK	
ABL	ACL												BCL	BAL	
ABM	ACM												BCM	BAM	
ABN	ACN												BCN	BAN	
ABO	ACO												BCO	BAO	
ABP	ACP												BCP	BAP	
ABQ	ACQ												BCQ	BAQ	
ABR	ACR												BCR	BAR	
ABS	ACS												BCS	BAS	
ABT	ACT												BCT	BAT	
ABV	ACV												BCV	BAV	
ABX	ACX												BCX	BAX	
ABY	ACY												BCY	BAY	
ABZ	ACZ												BCZ	BAZ	
22.	21.												22.	21.	
22															
21															
22															
44															
462															
23															
1386															
924															
10,626.															

Summa Cōbinationū siue Dictionum omnium.

70, 273; 067, 330; 330, 098; 091, 155.

Summa Litter: Dictionibus omnibus cōtētarū.

1; 546, 007; 491, 267; 262, 147; 905, 433.

1.	2.	Ad Num: III.	Ad Num: 11.	Ad Num: XI. Librorum Numerus.	Ad Num: XII.	Ad Num: IV.	1.	1.
3.	4.		200	257,667; 915, 211; 210, 357.	400.	6.	2.	2.
4.	8.		202	Ad Num: XII.	200.	24.	3.	3.
5.	16.		101	Bibliothecarum Numerus.	310000.	120.	4.	4.
	16.		100	8,052; 122, 350.	100.	720.	5.	5.
9.	256.		10, 100.	Ad Num: XIII.	32.000,000.	5040.	6.	6.
	256.			7,575; 213, 799.		40320.	7.	7.
17.	65536.			476; 908, 551.		3628800.	8.	8.
	65536.					39916800.	10.	9.
33.	4.294; 667, 296.					479; 001, 600.	11.	11.
							12.	12.

Nummorum numerus pl. 1. qui sunt floreni 17; 895, 697.

65,598. Años requirit Commutationū Numerus.

358

TAB. I



Peripheriarum Tabula Prior.

Semidiameter	1	00000	00000	00000	00000	00000	00000	00000
Peripheria tota	6	28318	53071	79586	47692	52867	66559	00576
Pars Media	3	14159	26535	89793	23846	26433	83279	50288
Tertia	2	09439	51023	93195	49230	84289	22186	33525
Quarta	1	57079	63267	94896	61923	13216	91639	75144
Quinta	1	25663	70614	35917	29538	50573	53311	80115
Sexta	1	04719	75511	96597	74615	42144	61093	16762
Oktava		78539	81633	97448	30961	56608	45819	87572
Duodecima		52359	87755	98298	87307	71072	30546	58381
Decima sexta		39269	90816	98724	15480	78304	22909	93786
360 na, five unus Gradus		17453	29251	99432	95769	23690	76848	8612
Minutum unum		2908	88208	66572	15961	53948	46141	476
Primum		484	81368	11095	35993	58991	41023	57
Secundum		80	80228	01849	22665	59831	90170	5
Tertium		13	46704	66974	87110	93305	31695	
Quartum		2	24450	77829	14518	48884	2194	
Quintum								
Sextum			37408	46304	85753	08147	369	
Septimum			6234	74384	14292	18024	56	
Oktavum			1039	12397	35715	36337	4	
Nonum			173	18732	89285	89389		
Decimum			28	86455	48214	3156		
Undecimum			4	81075	91369	052		
Duodecimum				80179	31894	84		
Decimum tertium				13363	21982	4		
Decimū quartum				2227	20330			
Decimū quintum				371	2005			
Decimum sextum				61	866			
Decimū septimum				10	31			
Decimū oktavum.				1	7			

Peripheria per Digitos multiplicata.

Integra.					Dimidia.				
Diam:	200000	00000	00000	00000	Rad.	100000	00000	00000	00000
1	628318	53071	79586	47692	1	314159	26535	89793	23846
2	1256637	06143	59172	95384	2	628318	53071	79586	47692
3	1884955	59215	38759	43076	3	942477	79607	69379	71538
4	2513274	12287	18345	90768	4	1256637	06143	59172	95384
5	3141592	65358	97932	38460	5	1570796	32679	48966	19230
6	3769911	18430	77518	86152	6	1884955	59215	38759	43076
7	4398229	71502	57105	33844	7	2199114	85751	28552	66922
8	5026548	24574	36691	81536	8	2513274	12287	18345	90768
9	5654866	77646	16278	29228	9	2827433	38823	08139	14614
10	6283185	30717	95864	76920	10	3141592	65358	97932	38460

Huius Tabulae descriptio habetur Libro II, Pag: 35, Num: 21.

TAB: II.

Peripheriarum Tabula Posterior.

G.	Arcus.	G.	Arcus.	M.	P. Arcus.	S. Arcus.	T. Ar.	Q. A.	M.	P. Arcus.	S. Arcus.
1	17453292	46	802851455	1	290888	4848	80	1	46	13380857	221014
2	34906585	47	820304747	2	581776	9696	161	2	47	13671745	227862
3	52359877	48	837758040	3	872664	14544	242	4	48	13962633	232710
4	69813170	49	855211332	4	1163552	19392	323	5	49	14253521	237558
5	87266462	50	872664625	5	1454441	24240	404	6	50	14544410	242406
6	104719755	51	890117917	6	1745329	29088	484	8	51	14835298	247254
7	122173047	52	907571210	7	2036217	33936	565	9	52	15126186	252102
8	139626340	53	925024502	8	2327105	38785	646	10	53	15417074	256950
9	157079632	54	942477795	9	2617993	43633	727	12	54	15707963	261799
10	174532925	55	959931087	10	2908882	48481	808	13	55	15998851	266647
11	191986217	56	977384380	11	3199770	53329	888	14	56	16289739	271495
12	209439510	57	994837672	12	3490658	58177	969	16	57	16580627	276343
13	226892802	58	1012290965	13	3781546	63025	1050	17	58	16871515	281191
14	244346095	59	1029744257	14	4072434	67873	1131	18	59	17162403	286039
15	261799387	60	1047197551	15	4363323	72721	1212	20	60	17453292	290888
16	279252680	61	1064650843	16	4654211	77570	1292	21			
17	296705972	62	1082104135	17	4945099	82418	1373	22			
18	314159265	63	1099557427	18	5235987	87266	1454	24			
19	331612557	64	1117010720	19	5526875	92114	1535	25			
20	349065850	65	1134464012	20	5817764	96962	1616	26			
21	366519142	66	1151917305	21	6108652	101810	1696	28			
22	383972435	67	1169370597	22	6399540	106658	1777	29			
23	401425727	68	1186823890	23	6690428	111506	1858	30			
24	418879020	69	1204277182	24	6981316	116355	1939	32			
25	436332312	70	1221730475	25	7272205	121203	2020	33			
26	453785605	71	1239183767	26	7563093	126051	2100	34			
27	471238897	72	1256637061	27	7853981	130899	2181	36			
28	488692190	73	1274090353	28	8144869	135747	2262	37			
29	506145482	74	1291543645	29	8435757	140595	2343	38			
30	523598775	75	1308996937	30	8726646	145443	2424	40			
31	541052067	76	1326450230	31	9017534	150291	2504	41			
32	558505360	77	1343903522	32	9308422	155140	2585	42			
33	575958652	78	1361356815	33	9599310	159988	2666	44			
34	593411945	79	1378810107	34	9890198	164836	2747	45			
35	610865237	80	1396263400	35	10181087	169684	2828	47			
36	628318530	81	1413716692	36	10471975	174532	2908	48			
37	645771822	82	1431169985	37	10762863	179380	2989	49			
38	663225115	83	1448623277	38	11053751	184228	3070	51			
39	680678407	84	1466076570	39	11344639	189077	3151	52			
40	698131700	85	1483529862	40	11635528	193925	3232	53			
41	715584992	86	1500983155	41	11926416	198773	3312	55			
42	733038285	87	1518436447	42	12217304	203621	3393	56			
43	750491577	88	1535889740	43	12508192	208469	3474	57			
44	767944870	89	1553343032	44	12799080	213317	3555	59			
45	785398162	90	1570796325	45	13089969	218165	3636	60			

M.	T. Ar.	Q. Ar.
46	3716	61
47	3797	63
48	3878	64
49	3959	65
50	4040	67
51	4120	68
52	4201	69
53	4282	71
54	4363	72
55	4444	73
56	4524	75
57	4605	76
58	4686	77
59	4767	79
60	4848	80

Radius 10000,00000

De hac Tabula vide Libro II. Pag: 36. Num: 23.

TAB: III.

Subtendentium partes Spirales.				
	Latera circa Rectum		Quadrata	Sub-tenf.
1	6283	1000	1000036	1000
2	12566	0004	144	0
3	18849	0006	324	0
4	25132	0008	625	0
5	31415	0010	961	0
<hr/>				
	37698		1369	0
	43981		1849	0
	50264		2500	1
	56547		3136	1
10	62830	20	3844	1
<hr/>				
	69113		4761	2
	75396		5625	2
	81679		6561	3
	87962		7569	3
15	94245	30	8836	4
<hr/>				
	100528		1010000	4
	106811		11236	5
	113094		12769	6
	119377		14161	7
20	125660	40	15625	7
<hr/>				
	131943		17161	8
	138226		19044	9
	144509		20736	10
	150792		22500	11
25	157075	50	24649	12
<hr/>				
	163358		26569	13
	169641		28561	14
	175924		30625	15
	182207		33124	16
30	188490	60	35344	17
<hr/>				
	194773		37636	18
	201056		40401	20
	207339		42849	21
	213622		45369	22
35	219905	70	47961	23
<hr/>				
	226188		51076	25
	232471		53824	26
	238754		56644	27
	245037		60025	29
40	251320	80	63001	31
<hr/>				
	257603		66049	32
	263886		69169	34
	270169		72900	35
	276452		76176	37
45	282735	90	79524	39
<hr/>				
	289018		83521	40
	295301		87025	42
	301584		90601	44
	307867		94249	46
50	314150	100	1100597	49
Subtendentium summa 50811				

Subtendentium partes Spirales.				
	Latera circa Rectum		Quadrata	Sub-tenf.
	320433	1001	1104401	1050
	326716		8277	52
	332999		12225	54
	339282		16922	56
55	345565	10	21026	58
<hr/>				
	351848		25202	60
	358131		30165	63
	364414		34497	65
	370697		38901	67
60	376980	20	43377	69
<hr/>				
	383263		48690	71
	389546		53322	73
	395829		58026	76
	402112		63605	78
65	408395	30	68465	80
<hr/>				
	414678		73397	83
	420961		78401	85
	427244		84330	88
	433527		89490	90
70	439810	40	94722	93
<hr/>				
	446093		1200917	95
	452376		06305	98
	458659		11765	1100
	464942		17297	3
75	471225	50	23842	6
<hr/>				
	477508		29530	8
	483791		35290	11
	490074		42101	14
	496357		48017	17
80	502640	60	54005	19
<hr/>				
	508923		60065	22
	515206		67226	25
	521489		73442	28
	527772		79730	31
85	534055	70	87157	34
<hr/>				
	540338		93601	37
	546621		1300117	40
	552904		06705	43
	559187		14482	46
90	565470	80	21226	49
<hr/>				
	571753		28042	52
	578036		36085	55
	584319		43057	58
	590602		50101	61
95	596885	90	57217	64
<hr/>				
	603168		65610	68
	609451		72882	71
	615734		80226	74
	622017		88885	78
100	628300	100	98388	82
Subtendentium summa 55500				

Subtendentium partes Spirales.			
	Latera circa Rectum	Quadrata	Subtens:
	634583	1002	1405960
	640866		13604
	647149		22613
	653432		30413
105	659715	10	38285
	665998		46229
	672281		55588
	678564		63688
	684847		71860
110	691130	20	81485
	697413		89813
	703696		98213
	709979		1506685
	716262		16660
115	722545	30	25288
	728828		33988
	735111		44229
	741394		53085
	747677		62013
120	753960	40	71013
	760243		81604
	766526		90760
	772809		99988
	779092		1610845
125	785375	50	20229
	791658		29685
	797941		39213
	804224		50420
	810507		60104
130	816790	60	69860
	823073		81333
	829356		91245
	835639		1701229
	841922		11285
135	848205	70	23108
	854488		33320
	860771		43604
	867054		55693
	873337		66133
140	879620	80	76645
	885903		87229
	892186		99668
	898469		1810408
	904752		21220
145	911035	90	33925
	917318		44893
	923601		55933
	929884		67045
	936167		80100
150	942450	100	93373
Subtendentium summa			63815

Subtendentium partes Spirales.			
	Latera circa Rectum	Quadrata	Subtens:
	948733	1005	1904713
	955016		18034
	961299		29530
	967582		41098
155	973865	10	52738
	980148		66409
	986431		78205
	992714		90073
	998997		2002013
160	1005280	20	16034
	1011563		28130
	1017846		40298
	1024129		54585
	1030412		66909
165	1036695	30	79305
	1042978		91773
	1049261		2106410
	1055544		19034
	1061827		31730
170	1068110	40	46633
	1074393		59485
	1080676		72409
	1086959		85405
	1093242		2200658
175	1099525	50	13810
	1105808		27034
	1112091		42553
	1118374		55933
	1124657		69385
180	1130940	60	82909
	1137223		98778
	1143506		2312458
	1149789		26210
	1156072		42345
185	1162355	70	56253
	1168638		70233
	1174921		84285
	1181204		2400770
	1187487		14978
190	1193770	80	29258
	1200053		46009
	1206336		60445
	1212619		74953
	1218902		89533
195	1225185	90	2506634
	1231468		21370
	1237751		36178
	1244034		53545
	1250317		68509
200	1256600	100	85552
Subtendentium summa			74549

Subtendentium partes Spirales.				
	Latera circa Rectum	Quadra- ta	Sub- tens:	
	1262883	1004	2600660	1612
	1269166		18377	18
	1275449		33641	22
	1281732		48977	27
205	1288015	10	66960	33
	1294298		82452	37
	1300581		98016	42
	1306864		2713652	47
	1313147		31985	52
210	1319430	20	47777	57
	1325713		63641	62
	1331996		79577	67
	1338279		98260	72
	1344562		2814352	77
215	1350845	30	30516	82
	1357128		49465	88
	1363411		65785	92
	1369694		82177	97
	1375977		98641	1702
220	1382260	40	2917940	8
	1388543		34560	13
	1394826		51252	17
	1401109		70817	23
	1407392		87665	28
225	1413675	50	3004585	33
	1419958		21577	38
	1426241		41492	43
	1432524		58640	48
	1438807		75860	53
230	1445090	60	96041	59
	1451373		3113417	64
	1457656		30865	69
	1463939		48385	74
	1470222		68916	80
235	1476505	70	86592	85
	1482788		3204340	90
	1489071		25137	95
	1495354		43041	1800
	1501637		61017	5
240	1507920	80	79065	10
	1514203		3300212	16
	1520486		18416	21
	1526769		36692	26
	1533052		58105	32
245	1539335	90	76537	37
	1545618		95041	42
	1551901		3413617	47
	1558184		35380	53
	1564467		54112	58
250	1570750	100	74925	64
Subtendentium summa			86817	

Subtendentium partes Spirales.				
	Latera circa Rectum	Quadra- ta	Sub- tens:	
	1577033	1005	3496954	1870
	1583316		3515914	75
	1589599		34946	80
	1595882		54050	85
255	1602165	10	76429	91
	1608448		95689	96
	1614731		3615021	1901
	1621014		37666	7
	1627297		57144	12
260	1633580	20	76714	17
	1639863		96346	22
	1646146		3719341	28
	1652429		39129	33
	1658712		58989	38
265	1664995	30	78921	43
	1671278		3802266	49
	1677561		22354	55
	1683844		42514	60
	1690127		66125	66
270	1696410	40	86441	71
	1702693		3906829	76
	1708976		27289	81
	1715259		51250	87
	1721542		71866	92
275	1727825	50	92554	98
	1734108		4016781	2004
	1740391		37625	9
	1746674		58541	14
	1752957		79529	19
280	1759240	60	4104106	25
	1765523		25250	31
	1771806		46466	36
	1778089		71309	42
	1784372		92681	47
285	1790655	70	4214125	52
	1796938		35641	58
	1803221		60834	64
	1809504		82506	69
	1815787		4304250	74
290	1822070	80	29709	80
	1828353		51609	86
	1834636		73581	91
	1840919		95625	96
	1847202		4421434	2102
295	1853485	90	43634	8
	1859768		65906	13
	1866051		91981	19
	1872334		4514409	24
	1878617		36909	30
300	1884900	100	61492	35
Subtendentium summa			100061	

Subtendentium partes Spirales.					Subtendentium partes Spirales.									
	Latera circa Rectum	Quadra- ta	Sub- tens:		Latera circa Rectum	Quadra- ta	Sub- tens:		Latera circa Rectum	Quadra- ta	Sub- tens:			
	1891183	1000	4587917	2141		2205333	1007	5876074	2424		2205333	1007	5876074	2424
	1897466		4610645	47		2211616		5902570	29		2211616		5902570	29
	1903749		33445	52		2217899		29138	34		2217899		29138	34
	1910032		60136	58		2224182		60225	41		2224182		60225	41
305	1916315	10	83092	64	355	2230465	10	86949	46		2230465	10	86949	46
	1922598		4706120	69		2236748		6013745	52		2236748		6013745	52
	1928881		29220	74		2243031		45098	58		2243031		45098	58
	1935164		56261	80		2249314		72050	64		2249314		72050	64
	1941447		79517	86		2255597		99074	69		2255597		99074	69
310	1947730	20	4802845	91	360	2261880	20	6126170	75		2261880	20	6126170	75
	1954013		30152	97		2268163		57873	81		2268163		57873	81
	1960296		53636	2203		2274446		85125	86		2274446		85125	86
	1966579		77192	8		2280729		6212449	92		2280729		6212449	92
	1972862		4900820	13		2287012		44418	98		2287012		44418	98
315	1979145	30	28477	20	365	2293295	30	71898	2504		2293295	30	71898	2504
	1985428		52261	25		2299578		99450	9		2299578		99450	9
	1991711		76117	30		2305861		6327074	15		2305861		6327074	15
	1997994		5000045	36		2312144		59393	21		2312144		59393	21
	2004277		28052	42		2318427		87173	27		2318427		87173	27
320	2010560	40	52136	47	370	2324710	40	6415025	32		2324710	40	6415025	32
	2016843		76292	53		2330993		42949	38		2330993		42949	38
	2023126		5104566	59		2337276		75618	44		2337276		75618	44
	2029409		28877	64		2343559		6503698	50		2343559		6503698	50
	2035692		53261	70		2349842		31850	55		2349842		31850	55
325	2041975	50	77717	75	375	2356125	50	64785	62		2356125	50	64785	62
	2048258		5206340	81		2362408		93093	67		2362408		93093	67
	2054541		30952	87		2368691		6621473	73		2368691		6621473	73
	2060824		55636	92		2374974		49925	78		2374974		49925	78
	2067107		84525	98		2381257		83210	85		2381257		83210	85
330	2073390	60	5309365	2304	380	2387540	60	6711818	90		2387540	60	6711818	90
	2079673		34277	9		2393823		40498	96		2393823		40498	96
	2085956		59261	15		2400106		74049	2602		2400106		74049	2602
	2092239		88500	21		2406389		6802885	8		2406389		6802885	8
	2098522		5413640	26		2412672		31793	13		2412672		31793	13
335	2104805	70	38852	32	385	2418955	70	60773	19		2418955	70	60773	19
	2111088		68357	38		2425238		94674	25		2425238		94674	25
	2117371		93725	43		2431521		6923810	31		2431521		6923810	31
	2123654		5519165	49		2437804		53018	36		2437804		53018	36
	2129937		44677	54		2444087		87185	43		2444087		87185	43
340	2136220	80	74532	61	390	2450370	80	7016549	48		2450370	80	7016549	48
	2142503		5600200	66		5456653		45985	54		5456653		45985	54
	2148786		25940	71		2462936		75493	59		2462936		75493	59
	2155069		56061	78		2469219		7110010	66		2469219		7110010	66
	2161352		81957	83		2475502		39574	72		2475502		39574	72
345	2167635	90	5707925	89	395	2481785	90	69410	77		2481785	90	69410	77
	2173918		33965	94		2488068		7204193	84		2488068		7204193	84
	2180201		64436	2400		2494351		34085	89		2494351		34085	89
	2186484		90632	06		2500634		64049	95		2500634		64049	95
	2192767		5816900	11		2506917		94085	2700		2506917		94085	2700
350	2199050	100	49650	18	400	2513200	100	7331233	7		2513200	100	7331233	7
Subtendentium summa 113930					Subtendentium summa 128223									

Subtendentium partes Spirales.			
	Latera circa Rectum	Quadra- ta	Sub- tens:
	2519483	7361425	2713
	2525766	91689	18
	2532049	7427088	25
	2538332	57508	30
405	2544615	88000	36
	2550898	7518564	42
	2557181	54313	48
	2563464	85033	54
410	2569747	7615825	59
	2576030	51840	66
	2582313	82788	71
	2588596	7713808	77
	2594879	44900	82
	2601162	81265	89
415	2607445	7812513	95
	2613728	43833	2800
	2620011	80464	7
	2626294	7911940	12
	2632577	43488	18
420	2638860	75108	24
	2645143	8012089	30
	2651426	43865	36
	2657709	75713	41
	2663992	8107633	47
425	2670275	44964	53
